HYPOMNEMATA DIDACTICA,

SIVE

MEDITATIONES

DE

INSTITUTIONE,

DE

INGENIORUM

Discrimine & Cultura.

CANTABRIGIÆ,

Ex Officina *Johan. Hayes*, Celeberrimæ *Academiæ* Typographi. MDCXC.

Impensis *Sam. Simpson* Bibliopolæ *Cantab.*



M



ptin
bus,
gen
ſom
liùs
tæ,
ope
ſibu
alii
pub



Hypomnemata Didactica.

SIVE

MEDITATIONES, &c.



ENTIS agitationes, ſive quotidiani Conceptus, quos *Meditationes* appellamus, etſi plerumque nobis invitis aut incogitantibus evaneſcant, & in nihilum abeant: Etſi carptim & per intervalla oboriuntur, ſedentibus, ambulantibus, hoc agentibus, aliud agentibus, nihil agentibus, interdum etiam ſomniantibus occurrant, & abeant; Nec meliùs cohærere videntur, quàm ſcopæ diſſolutæ, aut arena ſine calce. Non tamen inanis operæ fuerit eas aliquoties recolligere, ſenſibus imis reponere, in methodum digerere, aliis communicare, & (ſi utiles viſæ fuerint,) publici juris facere.

2. Quod non ideo dictum velim, ut hiſce

Meditationibus gratiam conciliarem, aut quasi lectorum animos præoccupare studeam, qui Comici illud meritò mihi occinent, *Nihil di-ci posse*, (præsertim in hoc Argumento,) *quod non dictum sit prius*.

3. Ea est enim hodie Scriptorum copia, excrevit adeò librorum multitudo & moles, ut nihil fere sit in universâ rerum naturâ, de quo homines verba faciunt, quin idem quoque scriptis quorundam tentatum & explicatum sit. Quicquid eruditionis habet terrarum orbis, per literarum commercia ad nos transiit, aut certè transiturum videtur.

4. Proinde qui honori suo velificantur, & nominis celebritatem ambiunt, rarius aliquod Argumentum quærunt; aut pro genio seculi, novo & inaudito more tractant. Literis ad amicum confictis, alii Cramben repetunt, Hypothesin alii novam excogitant, alii Historiâ fictâ splendidè mentiuntur, aut Scripto erotico amare & peccare docent. Alii ad mensuram ingenii sui, potiùs quàm rei veritatem, Hominem, Oratorem, Principem, aut Reip. statum, undiquaque perfectum, & omnibus suis numeris absolutum describunt, qualis fortasse nunquam extitit: (licet hoc scribendi genus etiam apud Veteres usitatum est,) Hìc (dum multa pro libitu affingunt, omnibus quæ impedimento esse possint omissis, atque ad exactam adeò normam omnia compo-

componunt, qualem nec ipſi obſervare poterint, nec quiſquam alius,) fortaſſe ipſa novitas gratiam conciliabit, aut ſtyli concinnitas & elegantia placebit.

5. Qui argumentum vulgare & tritum ſibi ſumunt, ubi nec novitas nec elegantia locum habet; & ad inſtitutum vitæ deſpicabile, (quale eſt piſtrinum literarium,) inſuper damnati fuerint: Poterint hi fortaſſis aliis utiles eſſe, ſibi commendationem conciliare vix poterint; præreptâ (ſi qua fuerit) ab aliis gloriâ.

6. *Nos tamen hoc agimus*, & ſi quid præſtiterimus quod in uſum generis humani ceſſerit, facilis erit gloriolæ jactura. Hìc nota, vulgaria erunt omnia: Hominis inſtitutio tradetur, quâ nihil in humanis utilius, ſed nec quicquam vel ſcriptis, vel ſermonibus hominum magis tritum.

7. De inſtitutione Civili paſſim ſermocinatur vulgus, ſcribunt docti; adeò ut ſiquis eâ de re porrò verba fecerit, is ut famæ ſuæ minùs conſulere, ita actum agere, Iliada poſt Homerum ſcribere, & aliorum veſtigiis inſiſtere videbitur. Et certè maxima pars eorum qui hodiè ſcribunt, variandi potius formulas quærere, quàm aliquid de novo excogitare videntur.

8. Me quidem perpetua vitæ conſuetudo hujus Argumenti quotidiè commonefacit, ut-

pote in hac arenâ aliquandiu exercitatum. Et quum in hoc vitæ institutum, sive ratione, (ita enim mihi videtur;) sive casu inciderim; sive *Jovis odio*, (ut vulgari diverbio dicitur) impulsus fuerim; *Meditationes, & Observationes* meas, etsi modestiæ periculo, (quâ nihil in rebus humanis antiquius duco,) simpliciter enarrabo, & lectorum æquanimitati permittam.

9. Probè novi, tanti plerumque esse scripta, quanta est scribentis auctoritas, & æstimatio Lectoris; illa, sentio in me quàm sit exigua; hæc varia & incerta erit, pro captu & ingenio Lectorum. Proinde nec laureolam in mustaceo quæsiturus, tantum mihi sumo, aut id præ me fero, quòd hoc argumentum Doctorum virorum scriptis toties ornatum, auctius hìc & emendatius proditurum sit. *Nil tanti est; Ego fungar vice cotis*, aut indicis personam sustinebo, quod mediocris est Auctoritatis, & Benevolentiam sapit, potiùs quam Facultatem & Excellentiam.

10. Proinde quum nec in alieno foro versor, nec in sterquilinio meo arrogantiùs ausus sim, non est quòd ego me credam patrocinium debere criminis, quum nullum sit. Missâ itaque ulteriori verborum ambage, quum satis superque præfatus sim, ad rem ipsam accedo.

11. Illud

11. Illud imprimis in hominis inſtitutione tenendum eſſe arbitror, ut poſteritatis ratio habeatur. Etſi enim nullo illius ſenſu afficiuntur anguſti animi homines, qui ſibi tantùm & vitæ præſenti conſulunt, bonorum tamen ſpes & cogitationes ad poſteros ſpectant, & alteri ſeculo proſpiciunt. Ubi tametſi ab eorum ſenſu omnia remota ſint, ſpe tamen & cogitatione quâdam delectantur.

12. Quùm majorum delicta minores ſæpe luant, vel ex eorum virtutibus fructum percipiant; nulla ſanè res præſentis ſeculi homines certiùs in officio continebit, aut poſt venturis ſeculis felicitatem conciliabit, quàm cura & providentia de Nepotibus ſuis probè & honeſtè inſtituendis. Quid proinde utilius, aut humano generi conducibilius eſſe queat, quàm Inſtitutione honeſtâ & civili, de poſteris benè mereri?

13. Neque enim temerè peccabit, qui poſteritatis curâ tenetur; quem nulla illius ratio tangit, is certè perturbandis potiùs rebus, quàm confirmandis idoneus videtur. Proinde qui Remp. ſalvam eſſe vultis, *Cavete vobis ab* eorum Conſilio quibus nulla ſpes in poſteris reponitur: Qui in Republicâ evertendâ nihil ſceleris intentatum relinquunt, Quòd iis nulla ſoboles eſt, quæ parentum ſcelus luat, aut ſi qua fuerit, eam extinctam malunt, utpote eorum ingratiis natam.

14. Et

14. Et in noſtrâ quidem poteſtate partim ſitum eſt, ut Minores boni ſint, & honeſti; Proinde, ſi coloni qui ſegetem expectant, & ſolum & ſemen idoneum eligunt, & qui pecora alunt, curant imprimìs & admiſſarium & genitale arvum è generoſiori Stirpe ſeligendum; ne fœtus oriatur agreſtis, & ferox, ut incultis ſilveſtribuſque locis uſu venire ſolet. Imò qui ſolummodò corporis exercendi animíque oblectandi gratiâ, canes Venaticos alunt, de Catulis progignendis & enutriendis, non minùs ſoliciti ſunt. Turpiſſimum eſt in humanâ ſobole tollendâ minorem curam adhibere; aut filios noſtros quibus vitæ lampada tradituri ſumus, incultos & ineruditos habere. Fateor equidem, hanc rem, ſaltem ubi nos agimus, & apud cultiores quaſque Gentes, magnâ ex parte prudenter adminiſtrari: Tametſi (ut humanum eſt errare) nonnulli imprudentiâ laborant, & uſque laborabunt.

15. Fuit tempus, quum homines in agris pecorum fere ritu palati ſint, tectis ſylveſtribus pernoctarent, quod ex novi Orbis incolis, & Gentibus noviſſimè cognitis colligere licet, ubi hodie ita ſe res habet. Hìc perexigua Religionis aut Officii cura, legitimarum Nuptiarum, aut prolis inſtituendæ fere nulla. Sed quamprimùm commodiùs degendi causâ in Familias coaluiſſent homines, Paterfamilias,

familias, qui & Præceptoris simul & Judicis munus obibat, quæ ad Religionem & usum vitæ spectarent suos edocebat, & delinquentes castigabat; ut inter proprios lares & schola esset, & tribunal.

16. Distributi ergo in familias homines, & sub imperio constituti, si minùs instinctu, aut naturæ ductu, (sunt enim quorundam mores prodigiosè perditi, & ab affectu naturali penitus abhorrentes,) saltem exemplo moniti, aut lege coacti, posteritatem meditantur: & sobolem cautè enutriunt.

17. Licet non desint quidam, (nec è vulgo solùm sed & ex iis qui nobilitatis titulo insolescunt, quos tamen in vulgo meritò annumerare licet,) qui præ inscitiâ, incuriâ, aut voluptatis studio, posteritatem rarissimè meditentur: Ex eorum numero fuit, qui, quum ortus esset sermo de curâ pro posteris habendâ; Eccur inquit de posteris adeò soliciti erimus? quid tantum pro nobis illi fecerunt? quâ in re de nobis posteri bene meriti sunt? Et *sexcentos licet ejusmodi proferre.* Qui modò rem suam salvam habeant, & sartam tectam sibi conservent, posteritatis curam fatis permittunt.

18. Ad vagam autem effrænémque libidinem coercendam, & sobolem diligentiùs enutriendam, divinitùs datum, & institutum fuisse videtur connubium. Et certè libidinem quan-

quantumpote coercet, & in humani generis regimine, omnia sapientum decreta omnium rerum publicarum leges & instituta facilè exsuperat. Quanquàm perditissimâ hâc ætate, reperti sint qui in divinum hoc institutum insurgunt, idemque confertâ tormentorum serie, velut è nave præsidiariâ quassare conantur. Dum enim hæc meditarer, Ecce prodiit poema quoddam tralatitium, cujus epigraphe Latinè sonat, *Conferta tormentorum series in matrimonium.*

19. Divino huic instituto laudes astruere, aut ejus commoda enarrare, nec penes me est, nec est hujusce loci: Inde certè est, quòd societas humana ex immensâ multitudine in arctum conclusa, amorem mutuum firmiùs retinet. Inde cura de prole tollendâ probéque instituendâ; Inde magna pars scelerum & maleficiorum evitata, quæ palantes & enormi libidine grassantes necessariò comitantur. Erunt fortasse incestus, erunt stupra admissa quandoque, etiam in republicâ optimè constitutâ; permissa nunquam. Vitia proinde hominum censenda sunt, non reipublicæ, in qua non publicè consensum est.

20. Vetus erat querela, hodiéque manet, omnia in deterius ruere; seculum novissimum à majorum probitate immane quantùm degenerasse. Atque id si unquam aliàs certè hoc seculo meritò dolendum est; quum lenitate,

tate, indulgentiâ, aut alio quodam errore factum eſt, ut à majorum virtute plurimum recedatur. Majores equidem noſtri, licet inutilibus & ludicris artibus, (quibus hæc ætas impensè delectatur,) minùs dediti: At regimine, morum formatione, & ſuorum inſtitutione, (quæ artes omnes facilè exſuperant, & ſine quibus non erit reliquis locus,) nobiles extiterunt.

21. Queruntur nonnulli mundum ſeneſcere, imò delirare, citra ſpem in melius proficiendi: nec injuſta eſſet querela, ſed nimis heu dolendæ rerum humanarum vices, niſi bona & honeſta inſtitutio huic malo aliquantùm obſiſteret, ejúſque rotam ſufflaminaret.

22. Ætas noſtra (ſi vera loqui liceat) eſt ſui admiratrix, ſeculorum priorum contemptrix. A Majoribus inventa aut tacet, aut vili pendit, ſua deprædicat. Et ſanè quum nobis edocendis priora ſecula tanta contulerint adminicula, grande aliquod & eximium à noſtris hominibus jure expectari poterat. Ut facilè eſt inventis addere. Et ne quicquam iis derogare videamur, Hic ſanè expectatis non deciderunt, quin multa, & eximia excogitarunt.

23. At majorum inventis ſuus interim ſtet honos, quandoquidem ea quæ ab iis accepimus, utiliſſima ſint, ut rem obſervantibus non obſcu-

obſcurum erit. Eximia certè ſunt ea quæ ab antiquis tradita uſurpamus ; ſed quia trita, & quotidiani uſus, ideo parciùs obſervantur, & minoris fiunt. Præter artes quas liberales dixerunt, philoſophiam item, ejúſque ſpecies ; Architectura, Agricultura, Figulina, Fabrica metallica & lignaria, Vini & aliorum potulentorum varii apparatus, Lactis in butyrum & caſeum coagulatio, Panificium, Textrina, Metallorum fuſio, Vitri coctio, Navigatio, (ut multa deperdita taceam,) antiquis ſeculis accepta ferenda ſunt. Et quid his utilius excogitavit ætas noſtra ? Nos quidem jactis olim fundamentis ſuperaddimus quædam, & à majoribus inventa ornamus. Nec omnia prioribus ſeculis accepta ferenda, Et noſtra ætas multa in poſterorum uſum tulit. Et poſt ventura ſecula forte plura inſuper dabunt.

24. Demus hæc omnia *exercitati ingenii, non magni, rationis, non rectæ rationis, hominis non autem ſapientis* opera fuiſſe, ut nimis argutè quidam diſtinguit ; (Nam ingenia magna laſcivire aliquoties gaudent, neque tam rei veritatem, quàm verborum lenocinia quærunt.) Certè theſaurus inventus, non ex inventoris ingenio, ſed ex rei utilitate æſtimandus.

25. In ipsâ re literariâ quid literarum inventione utilius? quid tachygraphiâ admirabilius

bilius, quæ ſcribendi celeritate vivam vocem exæquat? ea autem veteribus innotuit. Quin & typographiæ inventio ſatis vetuſta, utpote quæ ducentis (& quod excurrit) abhinc annis ſolertiſſimè excogitata, majoribus noſtris jure aſcribenda eſt. Motuum cœleſtium calculatione, & inde temporum diſtributione in annos, menſes, dies, horas, nihil potuit, aut poterit, utilius reperiri: Hæc autem majoribus accepta ferenda ſunt.

26. Sed ut è diverticulo in viam redeam. Majores noſtri eâ certè arte claruerunt quæ omnibus potior eſt, arte regendi, & imperandi peritiâ. Quin & ſuis obſequium & modeſtiam imprimis commendabant, quò vitam poſteà ſuam meliùs atque prudentiùs inſtituerent, & (ſi res tulerit,) feliciùs cum imperio & poteſtate eſſent. Neque enim credibile eſt eum bene rem gerere poſſe, aut aliis moderatè & prudenter imperaturum, qui non aliquoties obſequi noverit, & alienum imperium expertus ſit.

27. Regimen ſanè res mirabilis eſt, Et providentiæ divinæ argumentum nobis ſubminiſtrat. Nam & unum poſſe multis imperare, & multos velle uni obtemperare, divinum quoddam numen rebus humanis intereſſe & proſpicere indicio eſt. Quum dictante quodammodò naturâ, homines plerique omnes liberi & ſui jûris eſſe malunt, quàm in

rebus

rebus etiam dubiis & controversis judicio alieno stare.

28. Hodiè nimiùm indulgent; atque id unicum in votis habent parentes plerique omnes, ut filii sui, audaculi, interriti, inverecundi sint, ut ingentes sibi animos sumant: Unde graviter imperii fræna patiuntur, obsequium & modestiam ut res obsoletas vili pendunt, & pro nihilo habent.

29. Non facit fortasse indulgentia mendaces, aut avaros; At feroces, arrogantes, audaces efficit; Et istiusmodi audax arrogantia, seu arrogans audacia, etsi virtutes omnes eliminat, apud hoc seculum in virtutibus numeratur, imò sola atque unica virtus perhibetur: Hinc qui scurriliter ineptiunt, & quicquid habent ingenii, in rebus levibus, scommatis & argutiis prodigunt, in deliciis sunt; sciti meherculè homines, & (si diis placet) ingeniosi; ludibrio fortè posteris futuri. Et multò quidem tolerabilior res esset, si in levibus se continerent, Sed ut religionis articulos, arcana imperii, & ardua reipublicæ negotia licentiùs excutiant, idque in desidibulis, & tabernis ubi decocta quædam exotica sorbent, Hoc quidem ferendum non videtur.

30. Non omnium dierum sol occidit. Nec adeò conclamati sunt mores hominum, ut nulla sit spes in melius redeundi. Studia qui-

dem

dem humana, mores, consuetudines, virtutes etiam & vitia, in hujusce vitæ nostræ rotâ, quasi circulo quodam eunt, redeunt, & pro seculi genio variantur. Hominum quidem peccata sunt, non seculi, quæ suis quisque temporibus objicit. Mobilia tamen sunt vitia, pellunt invicem, & fugantur: Atque ut temporum vices, ita & morum vertuntur.

31. Infausto proverbio dicitur, *Heroum filios noxas esse*, & certè nimìs id verum est, doctorum (aut alioqui insignium) virorum filios plerumque nequam & degeneres esse. Sive quòd istiusmodi homines Venerem negligentiùs exerceant, ut quidam lepidè jocantur; sive quòd rebus magnis exercitati, aut profundis cogitationibus immersi, de liberis instituendis minùs soliciti sint, quàm homines proletarii, & plebeii, quibus sola spes est in sobole melioris notæ tollendâ, solúmque vitæ auctarium in posteris consistit. Quòd si à se impetrare velint viri eximii & eruditi, (& certè omnino impetrare debent.) ut in eam curam incumbant, nulli meliùs feliciúsque id negotium conficient.

32. Magnus interim in educatione error, quòd ea vilibus abjectísque hominibus plerumque commissa sit: vel quòd hi quibus commissa est, eo nomine viles censeantur. Vir doctus & eruditus, si fortè hanc provinciam susceperit, instar canis è Nilo, degustat & fugit.

 git.

git. Gradus eſt illi ad ſacerdotium opimum, aut inſtituti parùm proſperi ſubſidium, & quaſi ex naufragio tabula.

33. Dura ſanè provincia, & res magni momenti, hominem bene inſtituere, ejúſque ingenium formare: Nullibi tamen utiliùs quis operam inſumpſerit, quàm in illâ Spartâ aut per ſe ornandâ, aut in præceptis eâ de re tradendis.

34. Habent aſpredines ſuas gemmæ, quæ politurâ tolluntur, habent & maculas, quæ ſubſtrato foliolo illuſtrantur: Naſcimur impoliti, Curaturâ honeſtâ, & liberali inſtitutione emendamur.

35. Sed maturè, ſed tempeſtivè inchoanda erit inſtitutio; non dico ab ipſis incunabulis, verùm pro recens natis, imò nondum natis ſoliciti erunt parentes. Quandoquidem eorum incommodorum magna pars, quæ vitam humanam cruciant, eámque ærumnoſam reddunt, etiam nondum natis inuſta eſt. Ut ſeges & proventus terræ annuus, etſi aliis inſuper cauſis incommoda ſua, nempe cœli & auræ intemperiei, ipſiúſque ſoli infœcunditati & ſterilitati, ſementi tamen malè factæ præcipuè debet. Et in ſobole humanâ pro parentum temperantiâ aut intemperantiâ, (etſi aliæ etiam ſubſint cauſæ,) craſis & conſtitutio nativa varia eſt, mores & ingenia diſcrepant, & vitæ ratio diverſa eſt.

36. Ho-

36. Hominem libidini aut intemperantiæ deditum, beſtiam vulgò appellamus, aſperè quidem ſatìs, ſed admodum impropriè: Quid enim brutis temperantius? raro ultra ſatietatem veſcuntur, & vel ſponte ſuâ, vel curâ noſtrâ, ſtatis temporibus coeunt. Cognationis quidem nullus iis intellectus, (quem tamen equis tribuunt nonnulli:) Virtutis aut vitii nulla ratio, quia illis nulla lex, nullum interdictum. Sine delectu miſcentur, nec concubitus ullus iis vetitus. Sed & fœtus ſuos mirà diligentiâ enutriunt. Solus homo hìc legibus adverſatur, & enormi libidine ductus, poſthabitâque ſobolis curâ, ſæpenumerò *malæ vitæ ſtamina* ducit, prolem degenerem, turpem, infelicem alteri ſeculo tradit; Ut magìs ex uſu rerum humanarum foret, eam nunquam extitiſſe.

37. E tenello quidem & ſubtili ſtamine corporis humani fabrica contexitur, Utpote quod humore quodam albugineo aut coagulo primùm conſtans, mox fibrillis, membranulis, diſtinguitur: tandem in viſcera, artus, membra protuberans, idoneam juſti corporis compagem induit.

38. Dum materia adhuc tenax quodammodò, ſed ductilis eſt, ſpiritus intus agens, mechanicum generationis principium, eam efformat & fingit.

39. Spiritus ille ἐνκίνητος, omnia ambiens,

ens, undique diffusus, sui domicilii architectus est: Membrorum ideam & principia quæ in se habet exerit, materiæ compagem laxat, ejus particulas evolvit, explicat, & in motum abripit, ut vitæ munia obeant: Ut curiosè eâ de re philosophantur eruditi. Quorum in messem parciùs ego falcem meam immittere debeo. Nec mihi succenseant Æsculapii filii, si paucula insuper ex eorum placitis huc transtulero.

40. Proinde de re adeò tenerâ, sed quæ demum in compagem adeò nobilem accrescat, summâ diligentiâ opus est: Ne præ enormi aliquâ intemperantiâ, vehementiori affectu, motu quovis inordinato, gestu indecoro, aut appetitu absurdo, labes quædam aut intemperies corpusculo aut animulæ imprimatur.

41. Atque eò robustior erit proles, eò facilior enixus, quò validius fuerit parentis corpus. Ad conciliandam autem firmitudinem, ad conservandam sibi & fœtui sanitatem gravidæ licebit primis quidem mensibus quiescere, & quasi statariam agere. Quum verò ad pariendum vicina fuerit, idoneo motu utatur, lætam vitam degat, ambulet, aut (si vires patiantur,) aliquoties currat, gestatione, equo, vehiculo, aut navigio utatur.

42. Nascuntur autem Liberi, modò Mares, modò

modò Fœminæ, nunc Patri nunc Matri similes, eò quòd hujus vel illius vires superaverint; Aliquoties autem similitudo transcurrere & saltum facere videtur, ita ut Avis, Proavis, Atavis similiores nascantur, propter imaginationis vim : Ob vagas & transcurrentes Cogitationes effinguntur plerumque similitudines, & miscentur. Atque ideò major est in humano genere Vultuum dissimilitudo & varietas, ob ingeniorum varietatem, animi vim, & Cogitationum velocitatem, unde Multiformes notæ imprimuntur.

43. Ut lacte materno nutriatur Infans, ipsa natura quodammodò postulat : Est enim illud Alimoniæ cui in utero materno assueverit simillimum, & maximè congruum. Atque si sana & vegeta sit mater, præbenda omnino erunt Infanti sua ubera ; sin ea debilis aut morbida fuerit, utiliùs adhibetur nutrix aliena : Sed ingeniosa, robusta, succulenta, decora, probè temperata, laudabili Corporis habitudine, & Moribus probatissimis ornata. Mirum enim quantùm ipsi Infantes nutricis suæ gestus, nutus, oculorum motus imitentur, quinetiam ipsos Mores ipsúmque ingenium assumunt, & posteà moribus suis exprimunt.

44. Habent infantes Cogitationes & Observatiunculas suas, etsi nondum per ætatem communicare & aliis notas facere queant ;

Ex vagitu quidem, ejulatu, & inquietudine ſenſa eorum quodammodo dignoſcunt Nutrices, unde rebus oblatis periculum faciunt, quòd ſi quieverint, rectè ſe obtuliſſe norunt.

45. Vagitus autem eorum & ejulatus, (qui illis pro exercitatione eſt,) tres plùs minùs annos manet, quæ non eſt exigua vitæ pars, ſi rectè adminiſtretur, ad benè beatéque vivendum. Temperandus certè erit iis ejulatus, non autem prorſus cohibendus; moderatus enim tantùm abeſt ut noceat, ut etiam plurimùm proſit: pectus enim dilatat, partes vitales corroborat, humores noxios (ſi qui ſubſint,) idoneâ Diaphoreſi diſcutit, ſanguinis Circuitum promovet, Spiritus reſides excitat, calorem auget, alimentis digerendis inſervit, repletionis vitia corrigit, & animum ipſum mirè ſerenat. Immodicus autem exſiccat, calefacit, triſtes, acerbos, moroſos reddit. Regimen ergo hìc adhibendum cenſemus, uti etiam in motu & tenelli Corporis agitatione, & geſtatione. Neque enim Infantum corpora, nequidem nondum natorum, abſque motu idoneo & exercitatione, ſana & vegeta diu manent.

46. Motu enim calorem ingenitum exſuſcitamus, Spiritus ſopitos aut torpidos erigimus, ipſique Menti generoſam indolem conciliamus. Quòd quidem non modò in Infantibus (de quibus præſens Sermo eſt,)

ſed

ſed & in pueris, & ætate provectis obſervare licet.

47. Quum enim ſanguis, atque ſpiritus, quos ad obeunda Corporis Animíque munia Natura deſignavit, ſtatis temporibus moventur, & choreas ducunt, pabulum etiam & relaxationem expetere & expectare ſolent: Sanitatis cardo in eo verti videtur, ut his temporibus penſiculatè obſervatis, omnia iis adminiſtrentnr, quæ expoſcere ſoleant, nempe motus aut quies, pabulum aut laxamentum, prout ratio exegerit. Neque enim libere diffluere poterit Sanguis, aſſiduâ triſtitiæ interpellatione repreſſus, ſed torpet quodammodò, aut circuitum ſuum tardè, graviter, & moleſtè peragit. Proinde ut nec nimio labore, ita nec aſſiduo dolore aut triſtitiâ Corpus fatigandum, aut ſupra modum debilitandum: Quin rei Naturâ ſuâ infirmæ & caducæ, ita indulgendum, ut animi operationibus peragendis lubens & lætum inſerviat.

48. Quoniam verò varium vitæ Genus plerique agimus, fieri non poteſt ut hæc ad amuſſim obſerventur, quin à conſuetâ regulâ aliquoties deflectemus: At ſanè quantùm fieri poteſt, obſervabimus, & quum erratum fuerit, ſupervenienti curâ emendabimus. Sunt equidem relaxationes tempeſtivæ, oblectamenta, & voluptates cum Honeſtate con-

junctæ, sapientibus condimentum, stultis pabulum.

49. Humanæ vitæ vehicula, somnus, vinum, amicus, Philosophia: Proinde qui dum tempus exposcit, & ratio patitur, animum remittere, & bonorum Societate se oblectare solent; qui hominum frequentiâ gaudent, Hi plerumque bene morati, honesti, omnibus gratissimi: Prodigi fortasse, aut ad rem minùs attenti sunt; raro aut nunquam perduelles, parricidæ, aut iis criminibus dediti, quæ consilio occulto, & machinationibus clandestinis foventur. Contra, desides, tenebriones, qui Societatem & hominum Conventus fugiunt, & latebras quærunt, malè morati, malè feriati sunt, & si accesserit Ingenium & Audacia, rerum novarum studiosi, conjurationum & proditionum authores; Reipub. pestes.

50. Infantum corpora fasciis constringere pro more Nutrices solent, sæpe quidem non sine incommodo: Ex fascialibus enim nimiùm arctis, membrorum distortio, vasorum compressio, & coarctatio, pectoris constrictio, respirandi difficultas, & alia ejus generis incommoda oriuntur. At liberâ respiratione nihil ad sanitatem confirmandam utilius: Quum reciproco aeris hausti & redditi motu vita conservetur.

51. Infantes rebus gratis & non gratis,

jucundis

jucundis & acerbis interſint, ut formidabilia ſine triſtitiâ & pavore intueantur. Sunt qui manduco, formidine, larvis & terriculamentis pavorem incutiunt, eóſque perterrefaciunt: joco quidem, ſed non ſine gravi noxâ. Hinc enim in quibuſdam hominibus animi abjectio, & conſternatio, imò mira rerum quarundam deteſtatio; quæ non aliundè orta videtur, niſi quòd Infantes ejuſmodi rebus offenderentur, accreſcente ſimul cum annis averſatione quâdam, ſeu Antipathiâ, ſed occultâ & obſcurâ, ut in incognitis & arcanis numeretur.

52. Pauperum filii qui omnia pati ſolent, famem, ſitim, calorem, frigus; ſaniores, robuſtiores, plerumque & alacriores, quàm nobilium & Generoſorum, qui molliùs domi tractantur.

53. Qui ſuæ ſpontis eſt, & bene valet, varium Vitæ genus agat, nullis ſe diœteticæ legibus obſtringat, nullum Cibi genus fugiat, quo homines utuntur. Modò ruri eſſe, modò in Urbe, ſæpiùs in Agro, quieſcere interdum, ſed frequentiùs ſe exercere debet.

54. Veſcantur ſæpiùs Infantes, ſed cibo modico, leni, & infra ſatietatem; quò debitis gradibus coctio celebretur. Cibi leves ac tenues, miram ſenſibus perſpicuitatem tribuunt, Ingenio acumen & perſpicaciam conciliant: Immodici, vel nimiùm craſſi,

corpus

corpus inferciunt, pectus & partes Vitales coarctunt, Crassitiem quidem augent, sed proceritati impedimento sunt ; quinetiam Cerebrum obnubilant, & Ingenium obtundunt.

55. Dicunt populares mei, Filiolis suis in omnibus ignoscendum, iis omnia licita esse debere, priusquàm septennes fiant: Unde lasciviam, procacitatem, & maleficia eorum tanquam res ludricras (quibus mox vale dictu-ri sunt,) susque deque habent, tantùm non mirantur, & laudant. Sunt etiam qui Mendaciolis eos assuefacientes, & quum malefecerint, excusare & inficias ire docentes, aut (quod eodem ferè recidit,) non prohibentes, joco quidem, sed errore pessimo, serio delinquendi, & audacter Mentiendi incautè fundamenta jaciunt.

56. Proinde ad bonos Mores efformandi, dum fasciâ medii accinguntur, eâque penduli ad ambulandum promoventur: hâc ipsâ ætate, atque his annis, Bonæ indolis & probitatis Fundamenta certissimè & firmissimè ponuntur. Nam si eâ Ætate, & iis Annis nequam & petulantes fiunt, qui negliguntur: (ut assiduo usu compertum est;) etiam honesti & bene morati fieri poterint, si quis ritè tractaverit. Est enim iis ingenium sequax, & in utramque partem flexile; tanquam *Hercules Prodicius* in bivio constituti sunt, hinc virtute

virtute ſuadente, illinc voluptate trahente, unde in hanc vel illam partem tranſire licebit. Vimen molliuſculum facilè flexeris, rigidum ægré. Digitos teneriores citharæ interſtitiis & chordarum epitoniis facilè applicabis; ita ut ſponte ſuâ quodammodò incidant: at robuſtiores factos difficillimè nec ſine magno negotio ad ejuſmodi motum adiges. Dicunt Agricolæ, maturam ſationem aliquoties decipere, ſeram ſemper malam eſſe.

57. Quum jam riſu cognoſcere matrem, quum ſuos dignoſcere & balbutire cœperint Liberi, interſint (etſi nondum per ætatem intelligant,) Sacræ lectioni, Precibus, & hujuſmodi Myſteriis, ac Ceremoniis, quæ pro more cautè & religioſè celebrantur. Aſſidua enim rei iteratio, & repititio, Meditationes quaſdam incautæ parúmque ſentienti animulæ ſuggeret.

58. Ritibus & Ceremoniis quibuſdam verendis, (oculorum auriúmque oblectamentis,) vagi & inſtabilis animi, non modò puerorum, ſed & ætate provectorum, in ſacro Divini numinis Cultu eriguntur, & excitantur ad magnum quiddam de Deo cogitandum; neque tam vivâ voce, quàm ſigno externo docetur Vulgus: In rebus à ſenſu remotis, quáſque non intelligit, quales ſunt Religionis articuli; auditâ Verborum ambage,

dictis

dictis annuit, & Fidem fortassis adhibet, sed instabilem, & evanidam: Quin signi alicujus aspectabilis Observatione iteratâ fideliùs monetur. Sublatis itaque Ceremoniis, ritibus Solemnibus, & visibili Divini cultus apparatu, actum erit de Religione: Saltem ejus splendor minuetur, & idonea Pietatis adminicula tollentur. Quicquid homines vel tantillum à malo cohibet, & in officio continet, (ad quam rem non parùm conferre videntur Ceremoniæ Sacræ,) non est id temerè immutandum, nedum abrogandum: Quamvis ad animum probè constabiliendum, non una ancora suffecerit, Varia subsidia conquirenda sint, quæ si non intus & in animo reperiantur, aliunde accersantur.

59. Non sanè, cujusque est mero mentis intuitu, & contemplatione ad Deum ascendere, Cœlestia cogitare, Virtutem amplecti: Ad miniculis opus est, præcepti simul & exempli, quorum utrumque in Institutione ad Pietatem & bonos Mores necessarium, & quidem exemplum maximé. Hoc enim potius quam illo maxima pars hominum edocetur. Quum animo nihil utile proponatur, in quo se seriò intendat, hæret in eo quod objicitur, præsertim si sensibus adblandiatur. Hinc pueri otio aut ignavâ operâ tempus terunt, & si comites nacti sint improbos, animum ad deteriorem partem applicant, & crimine se

nequitiâ aliquâ hærent impliciti. Quòd si ab ineunte ætate altas radices egerit improbitas, irritus erit de reformandâ vitâ, & in melius redigendis moribus conatus; saltem non mediocris erit operæ, consuetudinis quæ in alteram naturam transivit vim eludere. Ubi verò quis ad pietatem & bonos mores tempestivè institutus, & exemplo quasi manu ductus fuerit, ibi maxima pars incommodorum cavetur, quæ neglectam educationem certissimè sequuntur.

60. Peccata quævis enormia, parricidia, perduelliones, furta, latrocinia, coram puero sæpiùs damnentur, & eorum interitus qui hisce criminibus tenebantur, identidem in memoriam revocetur. Hìc enim puerum terrere expedit. Si quid indecori acciderit, si quid intemperantiùs aut minùs cautè dictum, (ut in rerum domesticarum turbâ & tumultu fieri solet,) excludatur omnino puer, nec auditor aut spectator intersit. Prudentissimè dictum est, *maximam deberi puero reverentiam.* Nempe coram Sene ideo quisque decorè & modestè se gerere debet, nè quid mali aut indecori cernatur, At coram puero (id quod multò majus est,) nè quid mali addiscatur. Contrà, doctorum insigniúmque virorum studia, facta, virtutes commemorentur, & pro merito celebrentur. Ex repetitis horum laudibus, præmiis, & honoribus, facillimè ingenera-

nerabitur in animo puerili virtutis & bonarum literarum amor.

61. Neque ferendum erit, ut famula procax, aut delira quædam anicula, ferulam & ſcuticas crepitando, literarum odium (ut ſæpe fit,) animo incauto imprimat. Nequam & inurbanis ſervis, non eſt quicquam perniciosius, aut honeſtæ inſtitutioni magìs inimicum: Qui dum pueris aſſentantur, & majori obſequio ſe accommodant, quam aliquibus obſequii nimis officioſi incommoda perſpecta ſint, facillimè eorum animos ſolicitant, incautis ingeniis ſucum faciunt, & quâcunque lubet alliciunt.

62. Sæpenumerò ipſi parentes non modo imperii fræna remittunt, ſed & præ nimia lenitate, poteſtatem & imperium in liberos quodammodò abjudicant, & rejiciunt, & ipſis liberis adjudicant, aut permittunt. Quod ubi fit, ibi neceſſe eſt peſſimè procedere educationem; Hinc ſæpe uſu venit ut nobiliorum filii in bonarum literarum ſtudiis minùs promoveant, quàm pauperum & proletariorum; Utpote qui luxu & mollitie enervati, & domi imperium quoddam uſurpantes; diſciplinam ſcholaſticam graviùs ferant. Et quamprimùm mores pravos depoſuerint, & ad bonam frugem ſe receperint, (ſi fortè unquam ſe recipiant,) amoventur, & aliò commigrant.

63. Nam

63. Nam ejuſmodi parentes, quum ipſi otii nimiùm amantes ſint, ita & ſuis otia quærunt; unde circumforaneum aut grammaticaſtrum nacti, qui novam & compendioſiorem aliquam docendi methodum profiteatur, (ut factitare ſolent ejuſmodi homines,) hunc deprædicant, hunc miris laudibus efferunt, ſed minimè duraturis.

64. Compendium iis fortaſſe ſubſidio erit, qui priùs tradita & meditata, præ inſtabili memoriâ amiſerint. At in principiis ſcientiæ cujuſpiam tradendis, & in fundamentis ponendis, omnino diſpendium eſt. Et qui enchiridiis quibuſdam, nomenclaturis, ſeu *linguarum januis* (uti vocant,) contenti, miram in linguis ediſcendis celeritatem & certitudinem profeſſi ſunt; nunquam (ut opinor) hiſce commentariolis ſive commentis ſuis, ſcopum aut deſtinatum finem attigerunt. Nam memoriæ non bene conſulitur, ubi textura idonea & perſpicuitas deſiderantur, ut in omnibus ferè compendiis. Anguſta atque arcta vocabulorum conſtipatio memoriæ inutilis eſt, & inidonea; Ut conſtipata & conglobata acies ſpatia pugnandi perdit, & ſibi impedimento eſt. Brevitas etiam obſcuritatem parit, nec genuinam vocis cujuſque vim & ſignificationem capere poſſint, qui nimiùm compendioſè inſtituuntur, & quibus quaſi conferto agmine voces occurrunt.

Quin & in ejuſmodi vocabulariis, voces tantùm primitivæ qualicunque texturâ consuuntur: particulæ autem, & elegantiores loquendi formulæ (in quibus tota ferè linguarum vis & proprietas cernenda eſt,) in ejuſmodi compendiosâ verborum ſerie omittuntur, certè earum narratio & explicatio negligitur, aut parùm excolitur. Ideóque tam qui docent, quàm qui eo modo docentur, ad tempus mirè placent: brevi flaccescunt; Et ſanè tralatitia hæc docendi methodus, quæ ſeculo noſtro in ſcenam prodiit, Aliquandiu ſe oſtentavit, & ſuperbè inceſſit: Exiit demum, & jam penitus evanuit. Imò bonus ille ſenex, qui triginta fere annos in adornandâ hâc methodo elaboraverat; eam tandem *ſapientiæ ventilabro* excuſſam retractavit, & opinioni non reſpondiſſe faſſus eſt.

65. Pueris elementa literarum domi, & quaſi per luſum tradere, non abs re foret: Ea enim ætas & faciliùs ediſcit, & feliciùs retinet, quæcunque obiter & quaſi aliud agentibus tradita ſint. Ad ſcholam autem elementarem quò citiùs mittantur pueri, eò meliùs. Parùm fortaſſe promovebunt, eſto, at eſt quiddam non in deterius ruere, aut indulgentiâ domeſticâ corrumpi.

66. Ea eſt ingenii humani pravitas, ut ad malum procliviores ſimus, quàm ad bonum: pertinaciùs etiam hærent mala, Bona facile

in pejus degenerant, mala ægrè ad melius transcurrunt. Unicum in honeſtâ & tempeſtivâ inſtitutione remedium. Præceptoribus, (addam & ſacris oratoribus, & magiſtratibus,) etſi pauci obtemperare videntur, quantulumcunque tamen id eſt quod efficiunt, non eſt contemnendum; Abſque iis eſſet, longè major eſſet morum corruptela.

67. In minorum gentium ſcholis, ubi elementa ediſcunt qui artibus inferioribus operam daturi ſunt, aut ad ſcholam grammaticam viam ſternunt, quædam, (quaſi caſus omiſſi,) deſiderari videntur. Ea autem partim autoritate publicâ, & legibus latis, partim curâ privatâ, doctorum ſtudio, præceptorum conſenſu, & conſilio, ſuppleri poſſint.

68. Et leges quidem earum numerum conſtituent, loca iis maximè idonea, & earum moderatoribus dignam mercedem, præmia digna aſſignabunt.

69. Sed ſine lege aliquâ, privatorum hominum conſiliis & impenſâ fieri poteſt; Ut auditorium amplum ſit, & capax docendi locus, etſi non multis capiendis deſtinetur, quo liberiori aere fruantur, & ſtrepitus minuatur. Utque inſuper ornetur undique picturis, tabulis arithmeticis, geographicis, hiſtoricis, & ſi quæ prætereà comparari poſſint. Hinc enim obiter & quaſi aliud agentes, non-

nihil obſervabunt atque ediſcent vel mediocriter ingenioſi. Nec parùm ea res conferet ad judicandum cujuſque ingenium, & naturæ ductum, prout in hanc vel illam tabulam obtutum dirigat.

70. E libellis vernaculis qui Pueris in elementari ſcholâ traduntur, Literæ otioſæ & quieſcentes, (quæ in ſyllabis diſtinguendis & connectendis negotium iis faceſſunt, eóſque multùm impediunt,) eliminentur: aut diverſo Charactere ſignentur. Hoc facillimè fieri poteſt,& quidem à nonnullis jam factum video.

71. In vocibus polyſyllabis, lineola tranſverſa (quam Hyphen vocant,) ſyllabis interponatur, unde primo intuitu Pueri ſyllabas diſtinguent, in quibus diſtinguendis & connectendis, jam mirè torquentur.

72. Nullus hinc in Scholam Grammaticam migret, priuſquam exactiſſimè & ſine hæſitatione, vulgari idiomate conſcriptos Libellos legere, & Sermonem vernaculum mediocriter intelligere queat.

73. Liber Rudimentorum linguæ Latinæ, qui in Scholâ elementari ſæpe Pueris prælegitur, Capitulis, Commatis, & Paragraphis, item Paginarum numeris aptè dividatur; ut Magiſtro caput aut paginam dictante, omnia expeditè inveniant Pueruli, & oblita facilè recolligant. Loci enim deſignatio eſt egregium memoriæ ſubſidium.

74. In

74. In ſcholis Grammaticis adminiſtrandis, (ut iis exiſtimationem meritam procuremus, honorem debitum tueamur,) pauciora deſiderari videntur : excogitatis tot adminiculis, & legibus quibuſdam ſeu ſtatutis poſitis, ſaltem in Scholis publicis, in Civitatibus, Oppidíſque majoribus.

75. At forte non abs re foret, Ut in eâ quæ Pueris prælegitur Grammaticâ, exempla regulis affixa, Selectioribus quibuſdam ſententiis conſtent, quæ Philoſophiæ moralis ſummam, & Scientiarum principia quædam ſimpliciſſima complectantur : quod adhibitâ Doctorum quorundam operâ facilè fiet; Ut Juvenes ſimul cum Sermonis elegantiâ, utilia quædam & vitæ idonea ediſcant. Quinetiam, ut ſuperflua quædam, aut certè minus utilia amputentur, optarunt olim Viri complures Eruditi. Ad minuendas autem malevolorum quorundam calumnias, utiliſſimum fuerit

76. Ut qui aliquandiu in Scholâ moratus, nullam profectus ſpem, nullum Bonæ indolis ſpecimen ediderit, amoveatur : ne ſui diutiùs ſumptum faciant, & Præceptor fruſtra operam impendat. Niſi fortaſſe Parentes, (utpote opulentiores,) id expoſcant : ut ad malorum ſocietatem evitandam, & Morum formandorum gratiâ, diutiùs quis permaneat, non eſt id iis denegandum. Nimiæ autem Indulgentiæ eſſe videtur, potiùs quàm Pru-

dentiæ, omnes ſine diſcrimine Bonarum lite-rarum ſtudiis inſtituere. Sed cui *Ingenium* ſagax, *Memoria* tenax, & ſtabilis; qui *Li-terarum amore* & deſiderio tenetur; qui hoc agit, & animum advertit; qui ſæpe *dubitat*, *quærit*, & percontatur; qui *Laude* modeſtè delectatur, is Literis feliciter operam da-bit. Inquiſitio ſolicita, & tantùm non im-portuna, Cognitionis mater eſt. Et de explo-ratorio Ingenio nunquam deſperandum. Me-moria theſaurus Artium eſt, Et qui inſtar extundit.

77. Hæc autem bonæ Indolis criteria ideo hoc in loco recenſentur, ut ſuſcepto Argu-mento ſerviatur. His autem immorari, & de rebus adeò obviis præcepta dare, homi-nis eſſet otio abutentis, aut de aliorum inge-nio diffidentis. Nec abs re foret, imò vero optandum

78. Ut aliunde migrantem nullus admittat, niſi Chirographo oblato, niſi Literas (quas vocant) Teſtimoniales, ſeu Dimiſſorias, ab eo unde commigratur, obtulerit: quò certior factus de ingenio ejus & moribus novus Præ-ceptor, eò meliùs tractare queat, aut ſi forte in-docilis aut malè moratus fuerit, (quæ ple-rumque transferendi, & de Schola in ſcho-lam migrandi cauſæ ſunt, etſi alias ſæpe præ-texunt Parentes, ne temerè feciſſe videantur,) cautiùs admittatur.

79. Levia

79. Levia ſunt hæc quidem & minuta, quæque riſum fortaſſe movebunt Doctis, aut iis qui docti videri volunt. Eſto, at nos in minutis verſamur. *Plus eſt apud nos Operis, quàm Oſtentationis*, ut veriſſimè ait Fabius, *Plus in receſſu datur, quam in fronte promittitur.* Si obſtacula autem & remoras hujuſmodi, quæ in primâ profectione offendunt, tollere licebit, minùs anxiè reliquum iter conficiemus.

80. Præceptor ut ſit *vir Bonus*, pius, moribus incorruptiſſimis, id unicè optandum eſt. Neque enim improvido colono permittenda erit meſſis in herba, nec alterius ſeculi ſpes illi, quem culpa redarguit, qui crimine, aut ſcelere aliquo teneatur.

81. Ut *Prudens ſit* apprimè neceſſarium eſt: Laudabit enim ſine aſſentatione, reprehendet ſine Contumeliâ, caſtigabit ſine ferociâ, Alacris erit ſine levitate, Affabilis ſine adulatione, Gravis ſine acerbitate, Lætus ſine levitate & ineptiis.

82. Si *Doctus ſit*, (quod eſt inſuper optandum,) & bonarum Literarum ſtudiis deditus; modum & temperamentum quoddam in ſtudiis adhibere ſciat: Qui enim Literarum intemperantiâ quâdam laborant, & Chartis non tam immorantur, quàm immoriuntur; ſæpenumerò triſtes & acerbi ſunt, ac Docendi provinciam graviùs adminiſtrant.

Quantò quis ingeniosior est, eò plerumque iracundiùs & magis anxiè docet: Quum enim ægrè ac difficilè intelligi viderit, quæ sibi facillima visa sint, excruciatur, & ferocit, nisi adsit Patientia, quæ si in ulla re necessaria est, certè in Institutione Puerorum quàm maximè.

83. Quum enim in bonis Literis progressus ab incrementis sensim dignoscitur, & ex intervallo sentitur, quemadmodum Animalium & Plantarum accretio, quorum minuti auctus à perspicacissimo quidem oculo sentiri nequeant; qui stata incrementorum tempora expectare nescit, imprudentiâ laborat, & magnâ cum ærumnâ docet. Si quis minùs doctus fuerit, (ut sæpe fit in ludo primùm aperiendo,) is docendo discat: Nisi sit ex eorum numero, qui nunquam ad Eruditionem perveniunt, quia jam se pervenisse putant.

84. Gravis est illa Quæstio, in utramque partem vulgò agitata, & omnium Sermonibus trita, Aspera an lenis Educatio potior? Et lenis quidem Parentibus plerisque (præsertim Mulierculis) gratissima est; ac proinde subdoli quidam, qui lucello inhiant, aut Lenitatis titulum affectant, hisce morem gerere solent, seu potiùs fucum facere; mira pollicentes, de profectu non admodum soliciti: Hæc contumaciam, fiduciam, seculi nostri (si Diis placet,) virtutem, philautiam,

am, arrogantiam ingenerat. Sunt enim plerique hoc Seculo, de ſuorum Congreſſu, Sermocinatione, Geſtu, & corporis Ornatu, (quæ quidem omnia cum fiduciâ quadam oſtentare gaudent) magìs ſoliciti, quàm de intellectu & interno animi cultu. Præſertim ubi ad Maternum arbitrium & nutum, (ut ſæpe fit,) Educatio accommodetur.

85. Hinc Chorodidaſcali, Cantores, Fidicines, pluris æſtimantur, & ampliori mercede docent, quàm Præceptores, qui formandis Puerorum moribus & ingeniis operam dant. Ita ſimiles habent labra lactucas, quibus majori pretio Morum corruptela licet, quam Inſtitutio proba & honeſta.

86. Educatio autem paulò aſperior, Viris prudentibus & cordatis magìs probatur; Virtutem enim, Probitatem, & bonos Mores faciliùs conciliat, & feliciùs conſervat. De neutra quicquam in genere dici poterit, etiamſi multi multa, quin utraque ſummâ curâ & prudentiâ temperanda eſt, & alterutra pro eorum ingenio quibuſcum res nobis eſt, adhibenda.

87. Quinetiam ad Gentis cujuſque genium, & Imperii rationem, accommodanda & attemperanda quodammodò videtur Inſtitutio: In imperio Populari, libertas, in Monarchiâ ſeveritas magis laudatur. Hìc itaque, etiam Pueri ſub ferulâ paulò addictiùs diſtineri ſolent; illìc licentiùs agere.

88. Solent plerique Parentes de pueris percontari, & ab iis identidem quærere, quomodo sibi placeant; quàm grata sit Schola, quam gratus item præceptor. Quòd si studiosus & honestus fuerit puer, bene se habet: disciplinam enim (etsi aliquantò asperiorem,) non verebitur; Sin ignavus aut malè moratus fuerit, fallacissimum erit istud criterion; Odio enim habebit quem metuit.

89. Absit autem injustitia, & iniqua pœnarum distributio, sic æquiori animo calumnia feretur, quæ præceptoribus nunquam defuit, nec defutura est. Ea autem *murum ahenum* impavidum feriet.

90. Sunt qui pauperculos & pannosos asperrimè tractent, & unum aut alterum aliquantò sordidiorem, invenustum, vel obtusi ingenii Arcadicum juvenem quasi pro more in sublime rapiant, & malè multent, formosulos & generosorum filios etiamsi gravius delinquentes, demulcent, & tantùm non in sinu & deliciis habent. Misso hoc nequissimo bipedum genere, utpote prorsus inutili & damnando; Compendiò dicam, Ut non est præceptoribus denegandum justum imperium, *ita nec debet illis nimiùm licere*; Ut pulchrè monet Fabius. Quòd si parentes ipsi, idoneâ severitatis & clementiæ temperaturâ domi suos tractarent, rarissimâ in scholis castiga-

ſtigatione opus eſſet. Jam autem domi omnia grata ſubminiſtrant, ſi quid aſperum & ingratum adhibendum ſit, id præceptoribus relinquunt. Et quod omnium abſurdiſſimum eſt, etiam domi flagellum ſcholaſticum iis minantur; Unde mirus erga domeſticos amor, præceptorum autem imperia detrectant, aut graviter ferunt. Imò ætate provecti, & forte nequiores facti, eos calumniis onerant, plagoſos appellant, aut *lorarios*, quales veteribus à flagellis erant.

91. Utque ad calumniam, & diſciplinæ ſcholaſticæ odium, cumulus accedat; Parentes quidam ineptè juventutis ſuæ maleficia pueris enarrant, præſertim quali vafricie & improbitate præceptores ſuos olim tractarint, & malè multarint, unde ſui facilè documentum capiunt. At nemo bonus, præceptori (etſi fortè ſevero) maledixit unquam, aut quantumvis aſperum calumniatus eſt. Nemo inficias iturus eſt, (Licet pauci rem ſeriò perpendant,) æſtimandos eſſe homines, non ex rerum copiâ, ſed ex utilitate quam de illis percipit reſpublica, Ita *qui alios erudiunt*, etiamſi hoc ſeculo deliquium paſſi, *quaſi ſtellæ fulgebunt*.

92. Etſi Inſtitutio civilis tempeſtivè cavet, ut omnes boni fiant, priuſquàm malè agere didicerint, ac proinde remp. magìs ſtabilire & continere videtur, quàm præmium & pœna,

na, neglectæ educationis ſupplementa, & ſuccedanea: Quum tamen rariſſima non in pueris tantùm, ſed & apud viros ingenia, quæ mero virtutis amore capiantur; proponenda ſunt præmia, & pœnæ, laudes, & reprehenſiones, ſcholaſtici (quin & omnis) imperii fulcra & ſtatumina: Hæc etſi pro arbitrio diſtribui videntur, judicio tamen hìc utitur quiſquis ſapit. Pace tamen meorum popularium dixero, Nullum imperium ſtare poſſe, quod non ſit ex aliquâ parte arbitrarium. Qui contra arguunt, arbitrarium eſſe volunt, ſed ſuo modo. Dum acriter contendunt, ut omnia ad normam ſuam adminiſtrentur. Et ſi temporum vices ita mutentur, ut ad eos ſumma rerum deferatur, quæ in in aliis vindicarant, ipſi ſæpenumerò committunt.

93. Minæ contumaciores reddunt, ubi debita & promiſſa caſtigatio non ſequitur. Itaque aut non omninò minandum, aut promiſſis ſtandum, nec data fides hìc violanda, ſed iracundia utcunque temperanda, ſi meliùs ſe geſſerit, qui deliquerit.

94. Audaculi & elati animi juvenes, rariùs laudandi, coram potiùs arguendi, fiducia eorum minuenda, & infringenda, ne animos ſibi ſumant, & ferociant. Modeſtis & ſubtimidis indulgendum. Studioſis animos addere, Ingeniis feſtinis & præ-

cocibus

cocibus frœnos, Inertibus calcar adhibere decet.

95. Quidam à lusu ad studia alacriùs redeunt, alii autem tardiùs: His remissio & relaxamenta neganda, aut rariùs concedenda, Illis danda.

96. Varia esse puerorum ingenia, lippis & tonsoribus notum. Quanquam ingeniorum varietas, à temperamento, ætate, regione, solo, aut vitæ instituto orta, ut gradibus accrescit, ita & tempore mutatur; atque in hominibus potiùs cernitur, ad pueros minùs spectat.

97. Sed nec minùs varia esse parentum ingenia, compertum est iis qui docendi provinciam administrant; Infelix iccirco hominum genus, quod quinque diris à *Palladâ* Græco devovetur; Et sub *Pedantii* nomine à quodam Latinè traducitur. Hinc etiam *Priscianus verberans & vapulans*, ut non nemo festivo poemate lusit.

98. Et miserum esse in Grammaticâ senescere, senem elementarium esse vulgari diverbio dicitur: Sive quòd durum sit cum variis puerorum & parentum ingeniis conflictari; sive quòd in rebus leviculis, (quales sunt grammaticornm tricæ,) vitam agere molestum: Sive quòd maxima pars hominum, ut in omnes bene merentes ingrata, ità præcipuè in institutores. Nempe levioris impensæ res est aliquem contemnere, quàm de eo benè mereri. *Et odisse quam donare*

nare vilius, *constat*, ut ait poeta Bilbilitanus.

99. Plerique suis nimiùm indulgent, & adblandiuntur, præsertim matres, quæ hoc affectu maximè laborant, nec eum celare, sed palam ostentare gaudent. Celata autem indulgentia nulli nocet. Verùm nec in hâc parte satìs cauti sunt patres nonnulli; Novi plurimòs nimiâ patrum indulgentiâ depravatos; Mammotreptum, matris amasiunculum, ad bonam frugem pervenisse nullum memini.

100. Multi etiam queruli sunt, impatientes in pensitandis rerum momentis, & præstolando successu. Nescio sanè quo fato, sed ita plerumque fit, ut hujusmodi hominum filii rariùs ad bonam frugem perveniant: Contra autem, compertum est, eorum filios optimè proficere, qui in præceptoris curâ & diligentiâ acquiescentes, quàm minimùm sibi arrogant, successum tacitè expectantes.

101. Scioli, semidocti, literis leviter imbuti, & qui literatorum (si diis placet,) nomen affectant, quo quidem hominum genere nihil vivit ineptius aut inutilius; Hi licet nec docti sunt, nec prudentes, (etsi utrumque sibi arrogant,) sed audaces, garruli, importuni sensu suo abundantes, In præceptis ipsi præceptori tradendis, nimiùm sibi sumunt, arrogantiùs se gerunt, & in eum superci-

percilia distringunt, qui eorum ingenio (dicam an stultitiæ?) minùs se accommodat. Vulgus tenax est & sordidè parcum, in bene merentes ingratum, quos beneficiis cumulare dum nolit, aut nequeat, minori impensâ aspernatur, & calumniis onerat. Credo sanè plerosque mei ordinis atque loci homines liquidò confirmare posse, se à nullis magis læsos aut majori contumeliâ affectos esse, quàm ab iis qui in ære suo fuerint.

102. Magna pars parentum domi cæca est, & supra modum credula, de suis animo & cogitatione mira præsumunt, unde unum aut alterum (forte maximè inidoneum,) bonarum Literarum studiis, & scientiæ cuidam professoriæ seu questuosæ destinare solent: Nescii, (aut parùm soliciti,) utrum ingenium sortitus sit ad eam rem idoneum: Quòd si spe deciderint, (ut sæpenumerò fit,) in docentem culpa rejicitur.

103. Certè Deus cuique arti suos artifices, cuivis Scientiæ suos professores, omni operi idonea instrumenta assignavit: Quòd si malè administrentur, id pravitate aut incuriâ Hominum contingere solet.

104. Explorare cujusque ingenium, eique munus peculiare & idoneum assignare, est quidem in Institutione civili palmarium. Et de eâ re curiosè Philosophati sunt Eruditi quidam. Verùm ad eam rem plùs confert Observatio,

ſervatio, quàm mille Commentarii: Obſervatio inquam, non unius diei, aut menſis, aut anni ſpatio, ſed diuturnâ Conſuetudine facta; quæ in iis locum habere non poteſt, qui frequentiùs migrant, & de ſcholâ in ſcholam tranſeunt. Idem ſæpe his accidit, quod tranſfuſis liquoribus, aut plantis dimotis; vis ſua quodammodò perit, & effluit, & Pueris multa è memoria excidunt, ob mutatam docendi Methodum, quæ apud varios aliquoties varia eſt. Intermiſſa eſt etiam Conſuetudo, familiaritas, & Animorum conjunctio, quæ nonnihil in Inſtituendo & Docendo valet, certè in ingeniorum examine, quod tempore fit, & pluſculis Obſervationibus conſtat, inſtar omnium eſt, & utramque facit paginam.

105. Utiliſſimum fuerit, ut frequentiſſimè ea de re colloquantur Parentes, & Præceptores: Nam ex collatis Obſervationibus, non difficile erit conjecturam facere, quanam in Arte aut Profeſſione feliciùs operam poſiturus ſit juvenis.

106. Omnia verò plerumque bene procedunt, quamdiu Præceptoris ope fretis, ſine magno labore ſuo, ſine induſtriâ, ſine ſtudio & indagatione, ſingula Pueris traduntur, unde conjectura de futuro incertior redditur. Tum demum maxima adhibenda erit cura, & renovanda de integro conjectura, quum Præceptoribus valedixerint, & liberiùs vivere incipiant,

cipiant, nam antea, (ut ait ille,) *qui ſcire poſſis, aut ingenium noſcere ?*

107. Pueruli quamprimùm ſoli incedere & greſſus figere queant, adminicula omnia, Scamna, Serperaſtra, & manum adjutricem reſpuunt : Ita & Juvenes quamprimùm liberè vivendi poteſtas detur, Ducem aſpernantur, adeo licentiæ ſtudioſiores ſunt quàm ſecuritatis. Curandum itaque ne ad deteriorem partem animum applicent ; quin dirigendi, monendi, & (ſi opus fuerit,) coercendi, ut in viam redeant, ut animum ad aliquod ſtudium adjungant.

108. Ingenia tarda & mediocria, quò fert Natura ducantur, in una Arte elaborent. Generoſa & ſublimia coerceri nolunt ; liberè expatiari gaudent, nullis terminis jus ſuum circumſcribi patiuntur. In una forte Scientia excellere volunt, Artem unam ex profeſſo tractare, reliquas ſaltem delibare.

109. Audaculi, fiduciâ freti, qui præſenti ſunt animo, eos rebus gerendis domi bellíque aptiſſimos pronunciabimus. Etſi enim Audacia omnium ſcelerum & maleficiorum Parens ſit ; (quod non ſine Autore dico :) verecundia autem omnium Virtutum cuſtos : Hæc tamen ſi nimia fuerit, (quæ Græcis δυσωπία dicitur,) rebus gerendis, quæ firmam frontem requirunt, minùs idonea eſt. Qui abjectioris ſunt Animi, modò adſit bona Indoles,

doles, lucubrationibus & meditationibus idonei ſunt.

110. Alacres, amæniores Muſas, Anxii & moroſi, ſeveriores amant. Subtimidi, & modeſti, reconditis ſtudiis, Philauti, (qui res grandes meditantur, ardua molimina excogitant,) ſublimioribus plerumque delectantur. Atque hi ſunt Characteres, in ingeniorum examine præcipuè obſervandi.

111. Sunt quidem Juvenes plerique omnes Philauti, fiduciâ pleni, niſi ἰδιοσυγκρασία, conſtitutio Nativa & peculiaris Temperamenti ratio impediat, & aliud ſuadeat: Unde ſpes iis fallaces, Cogitationes inanes, deſideria enormia, temporis obſtetricio in lucem emittenda, quæ tamen obortum ſæpenumerò faciunt, unde Mentem cruciant, & inquietant.

112. Spes eſt futuri, Memoria præteriti. Juvenibus autem eſt multum futuri, ſaltem eſſe præſumunt, & ſibi montes Aureos pollicentur; præteriti parúm. Senibus contrà ex Memoria præteriti, oritur potiùs Triſtitia, quòd parùm ſit iis futuri, ſive potiundis Bonis, ſive minuendis Malis, & corrigendis Erratis.

113. Juvenibus omnia fervent, incaleſcit Sanguis, & integræ ſunt Vires. Senibus contrà omnia languent, torpet ſanguis, & quodammodò ſtagnat: Vires collapſæ ſunt: Illis ergo citiùs oboriuntur Intemperies, tum Corporis,

poris, tum Animi, citiùs etiam tolluntur : His tardiùs aboriuntur, & difficiliùs curantur.

114. Melioris tamen conditionis eſt ſenex, quia quod ſperat adoleſcens, ipſe aſſecutus eſt. Juvenis diu vivere deſiderat, ſenex diu vixit. Certè triſtitia ſenilis nullo modo minuenda, niſi benè actæ vitæ recordatione. Fructus enim pueritiæ laudabiliter actæ, ſenes reportabunt. Proinde in hâc acie quotidiani muneris, laxamenta curarum excogitare, & ſenectuti ſubſidia ex benè actâ vitâ conciliare decet. Otium enim & ſolitudo, & benè actæ vitæ recordatio, tutiſſimum ſenectuti portum efficiunt.

115. Moriones, quibus ſimplicitas eſt ſine prudentiâ, qui dum laudaveris, fictóque obſequio delinieris, ineptè geſtiunt, & operi ſe accingunt, ad ſervitutem quodammodò facti eſſe videntur : Horum operâ ſæpiùs utuntur, qui in rebus innovandis facinus aliquod grande moliuntur ; ſed ut architecti fabricâ tumultuariâ, machinamentis, & contabulationibus exemptilibus uti ſolent, Quæ quamprimùm opus abſolutum ſit, ut res inutiles amoventur.

116. Atque ut ad illud redeam quod in inſtitutione civili palmarium dixi ; Genii ductus omninò ſequendus eſt,niſi quid inſit vitii : Tum enim contrario quodam corrigendus erit. Ut ſiquis ſupra modum triſtis fuerit, non is lucubrationibus & ſtudiis ſeverioribus ſtatim ſe ac-

 cinget ;

cinget; etſi Genio ſuo arrident, quin potius inter homines verſetur. Qui leve & volatile ingenium habeat, is ſtudio quodam ſeveriori, utpote Matheſi, corrigendus.

117. Eſt enim bonarum literarum ſtudium animæ medicina quædam, ejúſque vitia corrigit. Eſt ſua cuique ſcientiæ peculiaris natura, ſuum cuique arti ingenium. Atque ut è terrâ herbas erraticas & noxias cultura, ita bonarum artium ſtudium, ex animo errores tollit, aut ſaltem minuit, ſemina virtutis inſpergit, & ingenuum ſi non invenit, quodammodò facit.

118. Quarè ſæpe fit, ut novi homines, & qui humili loco nati ſint, adhibitâ inſtitutione, & doctorum conſuetudine, nativas ſordes paulatim eluant; abjectum animum deponant, & generoſam indolem acquirant. Contrà, qui boni ſunt naturâ, ſæpiſſimè abſque culturâ idoneâ, & ex malorum contubernio & conſortio mali fiunt. Quaſi animi humani, perinde atque corpora, ſuas haberent ἀποῤῥοίας, ſeu effluvia, alios contagio inficiunt, iiſque malum affricant.

119. Qualis quiſque ullius artis ſtudio reddi ſoleat, talis ſi naturâ fuerit, in eâ utiliùs operam poſiturus eſt. Proinde futuro Oratori animus erit ad excogitandum acer, & paulò vehementior: Vox clara, & expedita. Philoſophiæ operam daturus, erit cogitabundus, &

di

disquirendo sedulus, & indefessus. Mathematicus erit perspicax, & ad rem attentus: Talem enim artes Mathematicæ inveniunt, vel quodammodò faciunt.

120. Quum autem *corruptio optimi sit pessima*; sæpenumerò fit, ut bonarum artium studium, si ab improbo tractetur, si in ingenium inciderit pravum; animi pestis, & morum corruptela fiat; siquis ad deteriorem partem animum applicuerit. Hinc oratores mali, audaces, tumidi, ambitiosi, loquaces, in concitando populo strenui: Deturbandis quàm confirmandis rebus magìs idonei. Et si Juris prudentiæ operam dant, fiunt plerumque avari, lucro inhiantes, litigiosi, In conciliabulis & circulis, si ad populum concionentur, buccinatores fiuut egregii, & ad res innovandas classicum canunt. Inspectricis philosophiæ otiosum studium, habitum corporis debilitat, animíque magnitudinem impedit. Artes Mathematicæ sæpenumerò pudibundos, tenebriones, tetricos, obeundis negotiis inutiles reddunt.

121. Multiplices ingenii puerilis characteres reperiri, tot ferè quot sunt in vultu varietates, nemo nescit: sed singulos enumerare immensum esset, & supervacaneum. Ego selectiores quosdam designabo; Qui licèt in *hypomnemate didactico* minoris esse momenti videantur, quidam etiam alterius ordinis, & ad rem literariam minùs spectantes, eos tamen

obiter annotare, nec inutile fuerit, nec in-jucundum.

122. Ut eos mittam qui in summo & imo gradu consistunt, eximiè ingeniosos, & egregiè stupidos: Sunt qui celeriter ediscunt, quum sermonem in numerato habeant, quæcunque edidicerint, mirâ fiduciâ eloquuntur. Aliis animus est reconditus, nec sermo admodum expeditus, sed judicium rectum; qui morâ adhibitâ acrioris ingenii specimina edunt.

123. Quidam magno conatu parùm proficiunt; alii levi operâ grandia assequuntur. Nonnulli incuriâ laborant, alioqui non contemnendæ indolis. Quidam sublimia meditantur, & supra vires se exerunt. Multi in angustas damnati cogitationes, in levibus sedent, nihil nisi vulgare, parvum, & plebeium sapiunt. Quidam incitato passu, alii æquabili incedunt. Hi verba grandia affectant, illi amœnitates quærunt. Sunt qui expeditissimè inveniunt, & suopte ingenio excogitant: Alii priùs excogitata accuratè componunt, & in ordinem degerunt. Nonnulli identidem aliquid novi excogitant, alii circulo quodam ad eandem rem redeunt.

124. Ingenia quibusdam elegantia & concinna sunt, qui in rebus leviculis acumen edunt, in seriis & aliquantùm arduis, nihil agunt: Ut novacula, quæ pilum dissecat, à solido quovis retunditur. Sunt contrà, qui in levicul-

insc-

inſcitè & inconcinnè ſe gerunt, in nugis nihil ſunt; in ſeriis acuti & ingenioſi. Hos, quò plùs iis aſſueveris, eò magìs probabis, Illi, veluti malæ merces, ſuperficie tenus lævigatæ, aut ementitæ & adulterinæ gemmæ, primâ ſpecie fucum faciunt, ſed mox ſe produnt & ſpernuntur. Hi profunda flumina referunt, quæ tacitè ac ſine murmure fluunt; Illi rivulos, qui jugi ſtrepitu, & perenni ebullitione ſcaturiunt.

125. Quidam mala præcocia referunt, quæ dulcedinem quandam præproperam acquirunt, ſed languidam, & evanidam. Fructus autem duraturi dulcedinem morâ acquirunt, poſteà fiunt mites & jucundi, ætate acerbitatem minuente. Qui naſcuntur ſtatim molles & uvidi, non maturi mox fiunt, ſed vieti & putres. Et quod in fructibus, idem in ingeniis obſervare licet. Laudabilior puer qui ultra puerum non ſapit; qui omnia decorè pro eâ ætate agit; ſenſim & gradibus ad majora aſſurgit. Ejuſmodi ingenia utiliſſima plerumque reperiuntur. Et medii ingenii homines, qui nec animum diſpondent, nec nimiùm ſibi arrogant, utiliſſimi plerumque in obeundis negotiis, & Reipublicæ muniis adminiſtrandis, ſoli ferè verſantur. Abjecti animi, deſpicabilis ingenii Homunciones, inutiles ferè ſunt. Qui ſummo ingenio pollent, plerumque ſibi nimis placent, & altùm ſapiunt, nec rebus gerendis ſe ac-

commodant, nec hominum ingenio & moribus.

126. Ingenium ante annos solers, & nimis cautum, plerumque malè audit, & procedente ætate in malitiam abit. Qui ingenio sunt egregiè malefico, qui naturâ sunt sævi, & truculenti, nescio cui bonæ rei inserviant, nisi quòd ob res bellicas celebrentur; & aliquando imperium occupantes, flagella fiant castigando seculo, & in meliùs redigendis moribus non inidonea.

127. Nihil autem esse in humanis stabile, quis nescit? Mutantur etiam ingenia, & mores, pro ætate, loco, vitæ instituto, honorum decursu, & reliquis vitæ circumstantiis. Si fortè in quibusdam non mutentur; tamen sæpenumerò fit, ut qui magnam nominis celebritatem apud vulgus obtinet, famæ suæ superstes est: Licèt enim constans & sui similis permanserit, imò magìs magísque indies in stadio & studio virtutis promoveat, ea tamen est hominum levitas, ut quem non ita pridem celebrarint, mox vilipendant.

128. Varietatis hujusce in ingeniis humanis rationem, Mathematici quidem ad astra referunt; unde juxta eorum placita, Saturnini, tristes, stabiles, cogitabundi sunt. Joviales, benigni, læti, justi. Martiales, contentiosi, audaces, ambitiosi. Solares, ingeniosi, sapientes, mansueti. Venerei, hilares, quieti, misericordes. Mercuriales, acuti, dociles, instabiles

ſtabiles. Lunares, taciturni, leves, vagi.

129. Medici temperamentis & humoribus aſcribunt, unde Sanguinei, agiles, hilares, benigni perhibentur. Bilioſi feroces, & temerarii. Phlegmatici, tenaces, ſed minùs expediti. Atrabiliarii, triſtes, cogitabundi, ſed ſæpe reconditè ingenioſi exiſtimantur.

130. Neque ſine ratione ita philoſophari videntur; nam ut aqua venas metallicas tranſiens, earum ſuccum & ſaporem imbibere ſolet, atque ut humor terræ roſcidus, & alibilis, pro variâ plantarum texturâ, variè ſapit: in abſinthio amareſcit, in glycyrrizâ dulceſcit, in oxalide aceſcit, in totâ malvarum ſpecie molleſcit: in aliis pungit, urit, aut aſtringit: Ita & Spiritus animalis, dum in corpore variis humoribus repleto diverſatur, variè pro cujuſque humoris dominio affici ſolet.

131. Quod oculus corpori, hoc intellectus animæ, atque ut oculus interpoſito opaco aut colorato alucinatur, ac minùs clarè cernit: Ita & intellectus interpoſito impedimento humoris noxii. Proinde ejus Cultura in eo præcipuè conſiſtere videtur, ut removeantur prohibentia, corrigantur humores noxii, præjudicia ex Ætate aut Educatione orta, tollantur. Et humores quidem noxii Medicinâ tolli aut ſaltem diſcuti & attemperari poterint; vel fortè meliùs Gymnaſticâ, quæ olim in artibus ingenuis & diſciplinis annumerata eſt:

Hanc quiſque in ſuum uſum transferre poterit.

132. Præjudicia autem quibus ab Ætate aut Inſtitutione erroneâ capti, noſmet admiramur, & plus æquo nobis tribuimus, non melius tollentur, quàm Veteres autores legendo, & inter Homines verſando, hinc enim dignoſcere licebit, bonam mentem rectámque rationem cæteris etiam diſtribui, non in noſtro peculio numerandam eſſe. Monebimur etiam de nobis & ſeculo noſtro modeſtiùs judicare, nec retro elapſa ſecula quaſi inculta & ineruditat damnare. Hinc inquam modeſtiùs de nobis ſentiemus, aut in eos qui præceſſerint minus ingrati erimus. Si neutrum à nobis impetrari queat; verendum erit, ne qui de Majoribus triumphari volumus, ludibrium poſteris debeamus: Ita lege Talionis retributio nobis fiet.

133. Hiſtorici & civilis doctrinæ Scriptores, ad Regiones, earúmque ſitus, leges, & conſuetudines, morum ingeniorúmque diſcrimina referunt. Septentrionales, quibus cœlum aſperius, & cibus plerumque craſſus, Spiritus quidem & animos validos ac feroces in corpore robuſto habent: Sed naturâ rigidi & truces ſunt; Meridionales, quibus cœlum eſt mitius, & qui Spiritus habent tenuiores, agiles atque ſagaces ſunt. Inſulani, qui mixtum varium & mutabilem hauriunt aera, mobiles, inconſtantes, rerum novarum ſtudioſi

ple-

plerumque ſunt. Pactam fidem ſubinde violant: jurant facilè, & mox ejurant; quaſi conceptis verbis tacto Calendario annuo juraſſent, ut nonnulli obſervant. Utinam hìc vani eſſent.

134. Nec non ad Principum mores, eorumque qui cum Imperio ſunt; hos enim Populus imitari gaudet, Ut rotæ minores in machinis automatis, majoris cujuſdam motui accommodantur, Et freta Oceani motum ſequuntur. *Totus mundus Hiſtrioniam facit*, ut ait Satyricus; & quotuſquiſque eſt qui non *ſcenæ ſerviat?*

135, Dignoſci volunt cujuſque indolem atque ingenium Phyſiognomones ex vultu, aut Typis & Lineamentis ibi exſtantibus: Arte quidem non prorſus vanâ aut damnandâ, ſi quis rectè tractaverit. Verùm à doctis neglecta, aut parùm exculta, & à circumforaneis quibuſdam impoſtoribus traducta, illa malè audit. Hominis probi & ingenioſi ſtaturam volunt æquabilem eſſe, & caſtigatam: caput leviter gibbum, temporibus nempe exporrectis, ante & retro prominentibus, & protenſis, ſub utrâque aure leviter depreſſum, ut ſi Globum è cerâ leviter utrinque comprimas; Oculos vegetos, claros, nec ſupra modum prominentes, nec in orbes reductos; Capillos ſubnigros, vocem claram, & expeditam.

136. Sunt qui ex collatione Vultûs humani cum

cum bruti alicujus Vultu, inde ingenii & morum ſimilitudinem arguunt: Unde eum cui truces & micantes ſunt oculi, vultus torvus, humeri patuli, pectus amplum, capilli leviter à ſummo inflexi, & in extremâ orâ ſubcriſpi, ſtrenuum atque magnanimum quaſi leonem dicunt. Oculi patuli & demiſſi, retracti, quieſcentes, & tantùm non immoti, cum pupillâ latâ, humilem & manſuetum tanquam ovem denotant; ſimplicem, bonum, ſed bonitate illâ quæ ferè malè audit. Vultus argutus & ſpeculatorius, pupilla coacta, oculi inſtantes, porrectè explicati, mores vulpinos indicant. Qui elatâ cervice incedit, cui oculi prominentes, ſupercilia arcuata, caput erectum, pectus amplum; feroculus, inſolens, faſtidioſus cenſetur, ut equus. Ita *quaſi non norimus nos inter nos*, à belluino genere indicia deſumunt. Qui admodùm anguſtæ frontis, & craſſæ ſimul ſeu obeſæ naris eſt, inſtar ſuilli generis ineptus & hebes perhibetur.

137. Exeunt quidem in vultum humanum morum veſtigia; Extant inibi typi quidam, ac notulæ, latentium affectuum indices: Et qualis quiſque eſt in aliquo animi affectu, Qualitercunque vultum componit, aut ejus muſculos habeat ſitos, talem hunc meritò judicamus, cui natura ejuſmodi vultum dedit.

138. Ipſum vulgus, affectus animi ſaltem vehementiores ex vultu dignoſcere ſolet: Et *cavendum*

vendum esse ab iis quos Deus signavit, vulgari adagio dictum est. Signa quidem physiognomonica, & vultuum characteres, faciliùs intelliguntur, quàm explicantur. Hilarem tamen dignoscimus ex vividà sanguinis diffusione, jucundâ vultus erectione. Tristem ex spirituum & sanguinis reductione, & vultus demissione. Iracundum ex subitâ & tumultuariâ sanguinis agitatione, & vultus distortione. Subsannatio, quum nares sursum contrahuntur, obliquè corrugantur, aut ad latera detorquentur, nauseabundum, contemptorem indicat. Frons etiam rugosa & caperata anxium aut iracundum notat: Erugata & exporrecta, hilarem, vel effrontem.

139. Nisi quis internos animi motus celare, & affectus ex alto dissimulare studeat; ita ut nullus eorum typus extra pateat, quod nonnulli, (saltem ad tempus,) facere solent.

140. Verùm in dignoscendis hominum moribus, & ingeniis; Vultus sæpenumerò mendax est, & corporis figura admodùm fallax. Grandes enim & deformes aliquandò probi & ingeniosi reperti sunt; *Rem magnam præstant quòd boni sint.* Contra, decori & speciosi non raro malè morati, & stolidi; Quod tamen domesticæ tractationi & educationi aliquoties tribuendum. Ea enim in utramque partem plurimùm valet. Nam & capitones, strabones, cernui, gibbosi, aut alio quovis modo deformes

formes & diſtorti, tametſi naturâ mali ſint, & plerumque impoſtores, verſipelles, obſcœni aut effrontes fiant: Curaturâ tamen & inſtitutione honeſtà, ſæpenumerò ad bonam frugem ſe recipiunt, unde reipub. utiles & idonei ſint.

141. Quidam vultus habent non modò varios, & Proteo mutabiliores; ſed perpetuò mendaces; Et vultus & ſermo iis coactus & ſimulatus eſt; Ita ut aliis prorſus ſint moribus, quàm præ ſe ferunt. Hinc proverbio monemur, *fronti nullam fidem adhibendam eſſe*, propter multiplices fallacis animi receſſius, Unde mores hominum è fronte certò dijudicari non poſſunt, Multò minùs ingenia ſua, quomodò ad bonarum literarum ſtudia ſe habeant.

142. Sin obſervare libet, quomodò in authoribus legendis quiſpiam affectus fuerit, qui re maximè delectetur; hinc ejus ingenium certiùs dignoſcere licebit. Ingenium poeticum, metri concinnitate, & verborum amœnitatibus delectatur; de cæteris inter legendum minùs ſolicitum eſt. Oratorium, verborum lenocinia, ſchemata, elegantiores loquendi formulas, (cæteris poſthabitis,) quærit, & inter legendum obſervat: Item populi concurſum, & actiones forenſes meditatur. Philoſophicum, rerum cauſas notat, & de iis alios identidem percontatur. Mathematicum, numero, pondere, menſurâ, calculationibus & dimenſionibus gaudet.

143. Sed

143. Sed & qui geſtit, qui lætitiâ exultat,& ſe quodammodò authorem fingit, aut ſaltem tacitus dicat, ô ſi eſſem! Quin & ejuſmodi quoddam opus pro virili ſuâ in animo meditatur; Is bonæ indolis ſigna, & latentes ingenii igniculos indicat.

144. Ingeniorum varietatem qui ad examen redegerunt, eam pendere volunt ex tribus animi facultatibus, Memoriâ, Phantaſiâ, Judicio; quæ operationes habent peculiares, atque variis artibus addiſcendis inſerviunt.

145. Ad phantaſiam eas artes pertinere volunt, quæ ſymmetriâ, figurâ, & conſonantiâ quâdam gaudent; Quales ſunt Scriptio, Pictura, Muſica, & univerſa Matheſis, Poeſis, Rhetorica, Militia, Regimen, Medicina practica: Et quæ luſus ingenii humani potiùs quàm veræ ſcientiæ cenſendæ ſunt, ut Saltatio, Geſticulatio, Præſtigiæ, Hiſtrionica.

146. Memoriæ cancellis contineri aiunt Grammaticam, Hiſtoriam, & ſcientias omnes, quæ multis vocabulis, variis regulis, multiplici rerum enarratione vel enumeratione conſtant.

147. Judicio aſſignant Logicam, Phyſiologiam, Ethicam, Medicinam theoreticam, Juriſprudentiam, Metaphyſicam, Theologiam; Omnes denique quæ in arguendo, inferendo, diſtinguendo verſantur.

148. Qui enim curiosè numerorum myſteria ſpeculantur, illis *tria ſunt omnia*, Neque tam

tam ad veritatis normam divisiones rerum exigere videntur, quàm ad numerorum rationem confingere: Proinde omnes ingenii dotes triplici facultate contineri aiunt, omnésque scientias eò referunt. Atqui multiplicia hominum ingenia, si non cancellis nimiùm arctis claudere, animúmque angustis limitibus circumscribere, non admodùm idoneè tamen distribuere videntur, aut propriæ quamque facultati assignare.

149. In hisce sanè facultatibus varietas quædam cernenda est, In phantasiâ præsertim seu imaginatrice, cui vulgò oratoriam, musicam, poeticen, picturam, artes mathematicas ascribunt. *Est* quidem *finitimus oratori poeta*; Picturæ cum poesi affinitas quædam. Est inter musicam & poeticen cognatio. Verùm alia facultas esse videtur, quæ ad scientias mathematicas inclinat, quàm quæ ad poesin. Poetice animum emancipare videtur, relaxare, & sui juris facere, ut liberè vagetur, expatietur: Mathematice contra coarctare, intus detinere, ut in se redeat cogitabundus.

150. Utcunque ita philosophati sunt, qui ingeniorum examen instituerunt; Scientiæ pleræque omnes, prout vulgò traduntur, & in libris comprehenduntur, ad memoriam præcipuè spectant, & ejus ope acquiruntur; Quia regulis constant, quibus ediscendis memoria inservit. Scientia enim est systema præceptorum,

rum, seu artificialis regularum congeries, observatione collecta : Nam è plusculis observationibus, & experimentis, quæ vel industria invenerit, vel sors obtulerit, plurimæ artes confectæ sunt, ut *Inductione* patet.

151. Grammatica, quatenus rectè loquendi rationem tradit, ex usu & consuetudine dicendi orta est. Ex usu enim erat norma Loquendi, non ex norma usus. Quatenus autem Scribendi ratio est, unde Grammaticæ nomen fluxit, est mere Mechanica, nempe Ars quædam animi sensa & nomina rerum mansuris quibusdam nōtis exprimendi, quam Scripturam dicimus. Erat autem ea origine tenuis, & tantùm non rudis; utpote quæ à notulis in arenâ ductis primùm orta, incrementa mira sumpsit, ut facile est inventis addere: Utilissimum inventum, & nisi usus, consuetudo, & frequentia rei admirationem minueret, prorsus mirandum. Quid enim aut ingeniosius aut mirabilius excogitari potuit, quam sensa mentis, & innumeras voces characteribus pauculis exprimere?

152. Rhetorica est præceptorum & regularum Congeries, è doctorum perorationibus, suasionibus, probationibus, omníque materiâ Rhetoricâ collecta, & in methodum redacta. Logica ex usu Argumentandi orta est; nam ex observata ratione atque formâ quam in ratiocinnii usu tenuerunt docti, excogitata

sunt

ſunt præcepta, & confectæ regulæ Argumentandi.

153. Atque hæ quidem Artes Organicæ dictæ ſunt, quòd regulas tanquam inſtrumenta conficiant, quibus mens in rerum Cognitione dirigitur. Ratione & Oratione (utrumque communi Vocabulo appellant Græci,) à brutis diſtinguimur: Earum uſu atque exercitio ſapientes à ſtultis diſcernuntur: His autem excolendis inſerviunt Artes jam memoratæ.

154. Poetice ſimiliter deſinentium aut æqualiter decurrentium ſonorâ modulatione primùm contenta eſt, & Schediaſmata quædam, ſeu opera inelaborata ex tumultuarii meditatione confecit. Characteriſmi ſeu deſcriptiones rerum, locorum, perſonarum, affectuum, & ſiquæ ſunt aliæ, communes ſunt Poetis cum Oratoribus. *Eſt finitimus Oratori Poeta*, Eſt utrique ſua Verborum copia; niſi quòd hic ligatam, ille ſolutam Orationem amat.

155. Picturæ originem dediſſe videtur delineatio exterioris ambitus Corporei, aut circumducta lineis umbra in terram aut parietem projecta. Omnia primùm Monochromata; poſteà variis Coloribus operoſiora facta: Lumine atque umbrâ diſtincta, ex alterna Colorum excitatione & depreſſione: Et ex deſinentis Picturæ ambitu, etiam q-

non apparent exprimuntur; quæque in plano jacent, eminere tamen & extra tabulam esse videntur. Quin & in superficie planâ corpora diversimodè surgere aut subsidere videntur, secundum Scenographiæ regulas.

156. Sonus autem è Chordis extentis aut cavâ Arundine casu factus, Musicæ Organicæ originem aut dedit, aut dedisse potuit; unde decantatissima de *Syringe* fabula. Quum autem Sonus simplex & liberè erumpens minùs gratus sit, proinde ad varietatem & gratiam conciliandam, ab Artifice perito intercipitur, & mille modis temperatur.

157. Matheseos subjectum est Quantitas à Materiâ exemptilis, abstracta, aut Cogitatione separata: Ea autem quum duplex sit, multitudinis una, altera autem molis; illam Arithmetica, hanc Geometria tractat. Quæ solæ sunt artes Mathematicæ puræ, & propriè dictæ. Musica enim est numerorum ad harmoniam Traductio, Astronomia est Geometria corporum Cœlestium magnitudini applicata.

158. Arithmeticæ origo est Computatio digitis facta, unde decas Numerorum meta & periodus. In Geometriâ quin & Arithmeticâ, pleraque experimentis Mechanicis, multiplici examine, jugi Mentis agitatione patefacta sunt: Ut in Numerorum Ratione & Analogiâ, in angulorum & laterum Di-

mensionibus. Fatentur omnes, duo & tria esse quinque: Si æqualibus æqualia addideris, æquale esse productum: Si æqualia æqualibus ademeris, residuum æquale esse, &c. Non autem priusquàm Numerorum rationem Ordinémque dignoverint. Trianguli tres angulos æquales esse duobus rectis, nemo non fatetur. Esto, sed nemo Mortalium istud intelligit, priusquàm Trianguli naturam, ejusque Mensurandi rationem intellexerit: Nempe ducto è quovis angulo Arcu, & lateribus intercepto; Hinc patet, omnes Arcus simul sumptos efficere gradus bis 90, hoc est 180. Apparatu quodam opus est, Gradibus ad earum cognitionem assurgimus.

159. Motuum cœlestium Descriptiones, è plurimis Observationibus collectæ sunt, ex jugi & multiplici observatione confinguntur Hypotheses, supponuntur Circuli & Orbes, quibus moventur corpora Cœlestia, aut moveri finguntur.

160. Mathesis etiam quæ Mechanica dicitur, tenui origine orta, tempore incrementa sumpsit. Ædium structura, speluncis nativis Originem suam debere videtur. Et solaria, horarum indices, ex arborum umbris à Pastoribus observatis primùm excogitata fuisse verisimile est. Quanto autem apparatu atque splendore & Ædes & Horologia jam ornantur! In movendâ aut attollendâ

tollendâ mole, experti sunt homines se vectis adminiculo plus posse, quàm nudâ manu: etsi fortasse rei rationem nondum intelligerent, Nempe *augeri moventis vires pro distantiâ suâ à fulcimento, sive centro gravitatis:* Hoc semel comperto, (ut ferax est inventio Humana,) adinventæ sunt Rotæ, Trochleæ, aliáque adminicula Mechanica, quæ eodem principio & fundamento nituntur.

161. Scientiæ illæ celeberrimæ, Theologia, Medicina, Juris Prudentia, quatenus sunt merè Theoreticæ, ad eandem animi Facultatem referendæ sunt, cum aliis Scientiis Theoreticis. Quatenus Practicæ & Professoriæ, nihil aliud sunt, nisi Scientiæ Organicæ ad res diversas sive ad variam materiam accommodatæ; nempe ad hominum Animas, Corpora, & bona seu fortunas.

162. Theologiæ theoreticæ seu naturalis, (quæ sola hìc locum habet,) principia, provocatione ad Facultates factâ investigantur, & explorantur. Schola quidem Peripatetica mentem Humanam vasi vacuo aut rasæ tabulæ assimilavit; unde ejus Sectatores doctrinam sub infusionis vel scriptionis similitudine explicare solent. Rectius fortasse Platonici, qui ex Notionibus innatis seu præconceptis veritatem eliciebant, & quasi partum, obstetricio quodam, in lucem ferebant.

 163. Solius

163. Solius hominis est seriò cogita
& ad facultates provocare ; unde solus D
cognitionem, solus Religionem habet. B
luino generi nulla ejus notitia, Religio nul
quantùm nobis dignoscere licet. Qui aut
seriò Cogitandi tædium aversantur, vix
Hominibus numerandi.

164. Spirituum natura solo Mentis nol
obtutu concipitur ; Ex Notionibus inna
elicitur, aut Ratiocinio colligitur: Quia S
ritus sensoria nostra (ut in Scholis loquunt
rarò percellunt. Percellere autem aliqu
es videntur, in Revelatione, & mirâ rer
quarundam Notitiâ & Indicatione, quæ
sunt hujusce loci, ubi de iis tantùm agi
quæ mentis humanæ Agitatione elicia
Quoties autem Sensuum operâ in intelle
nostrum Spiritus insinuent, Quoties inst
alicujus boni se nuncios præbent, aut
gentis periculi seu imminentis lethi com
nefaciunt : Ut ex Historiis, & Fide dig
rum relatu accepimus : Hæc tamen quia r
ùs occurrant, forinsecus adveniant, & f
nos sint, ad Hypomnemata Didactica m
spectant.

165. Provocando ad Facultates, inno
cet; *Deum esse*, vel à priori, ut loqu
Dialectici : Ut quum ex eo quòd Deus
Ens necessarium, infertur necessitas Exi
di, & quòd sit Ens summè perfectum, e

de colligitur ejus Exiſtentia ; ſumma enim Perfectio ſine Exiſtentiâ conſiſtere nequit: Vel à poſteriori, ex rerum Productione & Motu; illic neceſſariò ſiſtendum eſt in eo quod aliunde non eſt, Hìc in eo quod ab alio non movetur. Ex mirâ rerum concinnitate, & Conſervatione, Ex Providentia, & mundi Regimine.

166. *Eum rebus Humanis adeſſe & praeſſe*, Omnibus etiam exiguis rebus adeſſe, & inferiora ſibi curæ eſſe, contrà quàm de Jove & Auguſto ſcribit Poeta. Arcus cœleſtis multarum myriadum Oculos, tonitru multorum Aures ſimul percellit, intra definitos quidem limites: At quod Infinitum eſt, nullis limitibus circumſcribitur.

167 *Beneficum eſſe iis qui ipſum requirunt*, Preces juſtas nunquam irritas aut inutiles eſſe : *Malos ſupplicio afficere*, Homines ſcelerati etiam in hoc ſeculo plerumque plectuntur, Gentes autem, Civitates, Corpora (uti vocant) Politica, quibus non eſt Anima in ſtatu Futuro plectenda, ſemper in hoc ſeculo pœnas dant, Impietatis peſte, Libidinis incendio, Sacrilegii familiarum interitu aut paupertate, Injuſtitiæ diluvio. Perjurii pœna quidem humana eſt Dedecus, & totius Gentis infamia : Pœna autem Divina, exitium. Quoties enim enorme quiddam (puta Sacrilegium, aut Perjurium,) adeò

 inva-

invaluit, ut non modò Epidemicum ſit,
& Lege ſanciatur ; (nec ejus rei
ſunt exempla,) non tam Hominum
catum dixeris quàm Gentis : Et Gens
luet.

168. *Statum fore Retributionis*, pro V
anteactæ Ratione diverſum : Quod non
temnendo Veritatis argumento, apud om
omnium Gentium & ſeculorum Hom
in confeſſo eſt. Hinc ſanè quicquid
eſt honeſti & probitatis, inter Mortales
tinetur, & in terris moratur ; etſi in
quidem ſtatu explicando alucinantur
ti, nec mirum ; *Nondum enim apparet*
erimus.

169. In iis ergo quæ captum huma
excedunt, adhibendus eſt Cogitation
noſtris modus.. Infinitum & æternum
anxiâ Cogitatione proſequimur, quum
qui non liceat ? Mundus eſt τὸ πᾶν,
univerſum. Ultra univerſum quid qu
mus ? Cur ſpatium Infinitum fingimus?
riuntur & intereunt animalia, continuâ ſu
ceſſione manent, & manſura ſunt quam
Deo libitum fuerit ; quod nobis incognit
nec indagine ullâ deprehendi poterit, *Qu*
nim Deo a conſiliis?

170. Id verò adhuc magis culpand
quod in iis rebus quæ Religionem ſpect
multi ſerram Contentionis reciprocant,

ſóque Pietatis ſtudio, Religionem obſtreperam reddunt; & (quod maximè dolendum) feram & inhumanam : Dum præ Ambitione, aut partium ſtudio, non tam veritatem ſectantur, quàm victoriam : Eaque non ſemper obtingit Veritatem tuenti, ſed ei qui ingenii Acumine, aut viribus, ſeu autoritate præſtat : Ut qui ſudem vibratam projiciunt, aut in areâ pilam malleo propellunt, fortioribus lacertis Victoriam acceptam ferunt, non dignitati, non formæ, nec probitati, nec cæteris Fortunæ, Corporis, aut Animi dotibus.

171. Theologia autem practica, vel in publicis Perorationibus & Concionibus verſatur, vel in privatis Monitis, Hortationibus, Conſolationibus adhibendis, prout cujuſque Conditio poſtulaverit : Hoc judicii opus eſt, illud cum Rhetoricâ ſeu Oratoriâ coincidit, atque idem Ingenium, eandem Indolem requirit : Et ſi ab improbo tractetur, qui ad deteriorem partem Animum applicuerit, (ut ſupra obſervatum eſt,) innumera inde maleficia orientur, ut ex optimarum rerum abuſu & corruptelâ fieri ſolet.

172. Medicina eſt Philoſophia Naturalis corporibus Humanis applicata ; Praxis ejus è medicamentis Ingenio aut Caſu inventis orta eſt : Ex medicamentorum ſerie ſeu

 cata-

catalogo, Hiſtoriæ quædam ſeu Obſervatio-nes columnis affixæ, aut Templorum Archi-vis inſcriptæ : Hinc regulæ de ſimili medi-camento in caſu ſimili adhibendo. Nec in a-lio fundamento nititur Medicina, quæ dicitur Empirica.

173. Rationalis autem, cognitâ cujuſque intemperiei causâ, ſimul & loco in quo ſta-bulatur, materiam morbificam expugnat. Nempe humano Corpori varia aſſignata ſunt emunctoria. Recrementis & Humoribus ſu-perfluis è quâvis præcipuâ parte amoven-dis, vaſa quædam excretoria inſerviunt: Ca-piti tonſillæ, Glandulæ maxillares, ductus Sa-livales ; Cerebro parotides ; Cordi glandu-læ ſubalares ; Hepati renes. Et vaporosa quidem recrementa per Diaphoreſin, Serosa per renes, & lymphæ ductus, Bilioſa per cyſtin felleam. Atrabiliaria per lienem ex-purgari dicuntur. Proinde qui partium ſtructuram, & propria cujuſque partis emun-ctoria dignoverit, materiam morbificam de-rivatione tollere faciliùs poterit.

174. In ſtructurâ partium explicandâ, fe-liciter proceſſit hoc ſeculum : Ut nemo jam ſibi ignotus eſſe poterit, niſi qui vult. Quo-tus tamen quiſque eſt qui ſeipſum intus & in cute novit, qui Corpus, & Animam, hu-jus facultates, illius partes earúmque uſus intelligit ? Quod eſt propriè ſeipſum no-

ce

cere. Externa & foris posita miramur, quum nihil nobis mirabilius. Exotica & longiùs dissita petimus, quum domi meliora habeamus.

175. Quis sensuum suorum actiones, nedum intellectus sui operationes intelligit? Id quidem satìs constat, nervos in corporis superficiem desinentes, ictum ab objectis recipere, eúmque ad cerebrum usque deferre: Ut si quis citharæ chordam pulsaverit, motus ad extremam usque chordam pertingit: Quomodò verò ictus ille nervis primùm imprimatur, non adeo in propatulo est.

176. Structuram oculi, & auris, & utriusque nervos ingeniosè describunt anatomici. Philosophi auditum celebrari aiunt, quum sonus vibratione quâdam & jugi fluore ad aures transmissus, per nervos ad cerebrum deferatur. Euge! quadantenus intelligo. Visionem fieri aiunt per species à re visâ seu objecto transmissas, & in oculum immissas. Sed qui species hasce (quæ vel quales fuerint,) pulchrè descripserit, *erit mihi magnus Apollo*. Nam sive species intentionales dixerit, sive secundi elementi globulos, sive tincturas, sive exuvias substantiales, ab objecto seu re visâ emanare, per medium diffundi, & in oculum trajici affirmaverit; Adhuc certè intellectui aqua hæret. In gustu quidem & tactu, res paulò dilucidior est: ubi res sapidæ

dæ & tactiles superficie suâ ad sensoria pertingunt. Effluviis substantialibus olfactum fieri nullus est ut opinor qui dubitet. Hic enim intellectus facile se movet, & ad verborum sensa pertingit. Ubi verò verba dicuntur tantùm, sensum autem qui rem exprimat nullum habent, aut obscurum nimis & perplexum: Ibi aut se non movet, aut parùm sanè promovet.

177. In cogitatione motus quidam esse videtur, non modò ab extrinseco, sed & ex parte ipsius animæ: Ea enim circa objecta quæ grata sint, ita affecta est, ut se exerat, expandat, & quasi in occursum eat. Contra, si minùs grata eam percellant, in statione se continet, aut refugere, & se quodammodò coarctare videtur, Quæ motus indicia sunt. Quin & objecta levia minùs premunt, quàm quæ alicujus momenti sint: Propinqua vehementiùs movent, quàm remota; & præsentia quam præterita, aut futura.

178. Qui jus municipale tractant, sunt vel patroni & oratores, qui eloquentià & ornatè dicendi facultate ad actiones forenses instituuntur: Vel Pragmatici, seu causarum cognitores, qui verba, formulas, & causarum compendia oratoribus subministrant: In his autem præter sedulitatem, & circa apices juris versutiam quandam & vafriciem, omnium plerumque desiderantur.

179. In

179. In genere, Artes ferè omnes prout in regulas & methodum reducuntur, ſunt quaſi cogitationum noſtrarum vincula, Iis tamen admodùm utilia, quorum animi vagi & inſtabiles ſunt: Quales fere ſunt puerorum & mediæ cujuſdam indolis hominum. Quarè ut loris, funiculis, aut pilis ſtramineis ſuffragini appoſitis, equorum pullos motus quoſdam concinnos docent, & tolutim ire cogunt equiſones. Ita regulis & præceptis, juvenum animi (vagi alioquin & inſtabiles) coercentur, & ad normam quandam dicere, argumentari, numerare docentur. Probè exercitatis, regulæ & verborum formulæ (ut equis lora pedum,) excidunt: Ipſa res manet, & quaſi exſuſcitata animo occurrit, quoties occaſio ſe obtulerit.

180. Sed ut finis tandem ſit; Lectis vel auditis aſſentire cujuſque fere eſt. Regulas & præcepta artis alicujus intelligere & memoriâ tenere multorum. At ſi quis non modò intelligit, verùm ad facultates ſuas provocando, ſingula expendit: Quædam inſuper excogitat, & quaſi de ſuo peculio ſuperaddit, hunc naturæ ductu ad eam artem ferri noveris.

181. *Galenum* ferunt adhuc puerum medicinæ operam dediſſe. D: *Thomam Aquinatem* in cunis avidè libros petiiſſe. *Veſalium* etiam puerum mures atque alia animalcula

diſſe-

diſſecuiſſe. Sed quâ methodo, quibus gradibus ad ſummum contenderunt, nec ipſi (qui ſoli optimè poterant,) tradidere, nec alii conjecturâ aſſecuti ſunt : Adeò ut hæc via deſerta ſit, nec ullis preſſa veſtigiis.

182. Artibus ediſcendis ut in ſyſtematis, enchiridiis, manuductionibus, regulis traduntur, ſufficit memoria. Sin earum originem & naturam explorare quis velit, & peculiarem ingenii cujuſque ad hanc vel illam ductum; Provocandum erit ad facultates, Scientia propria reviſenda, Gradus & veſtigia cognitionis remetienda: Atque hæc omnia cum aliis fideliter communicanda, diſertè & ſigillatim tradenda: Ut ſic inſeratur ſcientia animo alterius, ſicut crevit in ſuo.

183. Atque ut hujuſmodi ingeniorum investigatio, & ſcientiarum traditio, utilis fiat: Jugi & multifariâ obſervatione opus erit: Pluſculæ doctorum obſervationes colligendæ, & conferendæ: Qualia quiſque indolis ſpecimina & præſagia ab ineunte ætate ediderit. Tradant viri docti quales habuerant meditationes, quibus gradibus ad ſummum aſcenderint, quò meliùs lampada tradant, aliis viam præmonſtrent, & bonas artes aliorum animis inſinuent. Qui temerè aut ſolius lucelli gratiâ artem aliquam profiteantur, (quod ad hanc diſquiſitionem attinet,) flocci faciendi.

184. Hujuſ

184. Hujusmodi meditationum thesaurum colligere, *Hic labor, hoc opus.* Requiritur otium, jugis & assidua cum doctis consuetudo, nostratibus simul & extraneis. Nos plerumque actum agimus, circulo scribimus, nostræ gentis institutionem tradimus, missâ exterarum gentium institutione : Unde tamen collatione factâ, res dilucidiùs explicari, & multa inde utilia peti poterant.

185. *Xenophon* quidem de veterum Persarum institutione, *Plutarchus* de Spartanorum ex professo scripsit. Qui autem de Germanorum educatione, & moribus copiosé scripsit, Institutionem literariam, (quæ apud illos ferè nulla erat,) *tacitus* prætetiit. De veteri apud Romanos institutione, pulchra quædam scripsit, quisquis autor est *dialogi de Oratoribus.*

186. Qui hodie regiones exteras invisunt, aut describunt, earum situm, fluvios, saltus, montes, urbes, mores describunt : De puerorum apud eos institutione, quæ meritò dignoscenda, (quævis enim gens aliquid hìc singulare, aliquid notatu dignum habet, vel ad imitationem, vel fortasse ad cautionem,) altum silentium.

187. Mihi neutiquam polliceri, imò ne sperare quidem licet, nec quisquam expectaverit, üt quæ hâc in re desiderantur, ego suppleam. Si instar cotis aliis acuendis inservierim, Hoc est quod potui. 188. Ha-

188. Habes hìc lector quæ ego carptim & per intervalla meditatus sum ; Atque i-ta quidem scripsi ; Adeò ut in illis ordo & methodus desiderari videntur. Quædam ab aliis dicta non intacta reliqui, quoniam argumento serviendum erat : Leviter atti-gi , ne si singula copiosiùs prosequerer, non esset

Finis.

E R R A T A.

Sect. 54. lege *coarctant*. sect. 58. l. *instabiles*. sect. l. *indicandum*. sect. 111. l. *abortum*. sect. 113. l. *oriuntur*. sect. 132. l. *triumphare*.

Reliqua errata leviora sunt, quàm ut ea sigil indicare necesse sit.

Notæ ad Sectiunculam

18. **I**N*ſcribitur Poemation hic memoratum,* A Broad Side againſt Matrimony.

24. *Omnia iſta ſagacitas hominum non ſapientia invenit. ——Invenit aliquis exercitati ingenii, & acuti, non magni, nec elati. ——Omnia iſta Ratio, non recta Ratio commenta eſt. ——Hominis non ſapientis inventa ſunt.* Seneca *Epiſt.* 90.

36. Plinius *Natur. Hiſt.* . *lib.* 8. *cap.* 42. *refert equum detracto oculorum Operimento, & cognito cum matre coitu, petiiſſe prærupta, atque exanimatum.* Mox addit, *Namque & cognationum in iis intellectus eſt.*

56. Xenophon ἀπομνημονευμάτων *libr.* 2. *hanc de Hercule ſive Hiſtoriam ſive Fabulam* ... Prodico *copioſè enarrat,* ex Xenophonte *breviter* Cicero, *Offic. libr.* 2.

60. Juvenalis *Sat.* 14. *Maxima debetur puero reverentia,*——

64. Gomenii *Opera Didactica claudit* Ventilabrum Sapientiæ, *ubi Meditationes ſuas Didacticas retractat, & quam conceperat de Operibus ſuis opinionem minuit.*

79. *Hæc Profeſſio plus habet in receſſu, quam*

in

in fronte promittit. *Plus habet operis quam ostentationis.* Quintil. *Instit. lib.* 1. *cap.* 4

90. *In Ætatem infirmam, & injuriæ obnoxiam, nemini debet nimium licere.* Quint. *l.* 1. *cap.* 3.

92. *Vide* Valer. Max. *lib.* 8. *cap.* 6

97. Palladæ *Epigramma,* Ἀρχὴ γραμματικῆς μῆνιν ἔσχε, &c. *extat lib.* 1. Anthologiæ cap. 27.

98. Martialis *lib.* 12. *Epigram.* 13.

106. Simo Terentianus, *Andr. act.* 1. *scen.* 1.

109. *Author est* Cicero *pro S. Roscio Amerino, & in partitionibus Oratoriis.*

131. *De Gymnasticâ vide* Platonem *de Republicâ, libr.* 2, & 3. Alexandrum ab Alexandr. *libr.* 2. *cap.* 25. Pancroll. *de Perd. tit.* 26.

134. Petron. Satyric. *propter finem.*

140. *Rem magnam præstas Zoile si bonus es.* Mart. *lib.* 12. *Epigram.* 54.

166. *Utq; Deos cœlúmque simul sublime tuenti*
Non vacat exiguis rebus adesse Jovi:
A te pendentem sic dum circumspicis orbem
Effugiunt curas inferiora tuas. Ovid. *Trist. lib.* 2. *vers.* 215.

167. *Neque sine authore hæc dicta sunt,* Vide Cicer. *de Legib. libr.* 2. Eustath. *in Hom. Iliad. pag.* 428. & 1086. *Edit. Basiliens.*

F I N I S.